FLORÆ AUSTRIACÆ

VOLUMEN TERTIUM,

CONTINENS

ICONUM

CENTURIAM TERTIAM.

FLORÆ AUSTRIACÆ

SIVE

PLANTARUM SELECTARUM

IN

AUSTRIÆ ARCHIDUCATU

SPONTE CRESCENTIUM,

ICONES,

AD VIVUM COLORATÆ, ET DESCRIPTIONIBUS,

AC

SYNONYMIS ILLUSTRATÆ.

VOL. III.

OPERA ET SUMPTIBUS

NICOLAI JOSEPHI JACQUIN.

VIENNÆ AUSTRIÆ,

TYPIS LEOPOLDI JOANNIS KALIWODA,

AULÆ IMPERIALIS TYPOGRAPHI.

MDCCLXXV.

Mo. Bot. Garden,
1895.

FOLIO QK318 .S23 1775 v.3

TABULA DUCENTESIMA PRIMA.

HELLEBORUS NIGER. *Linn. syst. pag.* 381. *Scop. carn.* 1. *p.* 405. *Crantz. fasc. p.* 133.
Helleborus niger legitimus. *Clus. hist.* 274.
Helleborus niger, flore roseo. *Bauh. pin.* 186.

Radix nodosa, obliqua, inaequalis, perennis, foris nigra, intus albida; tandem ramosa & caespitosa, fibris aucta validis concoloribus longissimisque, sapore pollet nauseoso, ingrato, & subacri; folia emittens ex variis suis nodis singularia, per hyemem etiam virentia, ad quorum multorum exortum scapus autumno prodit, etiam singularis, qui florem sustinet terminalem, plerumque unicum, rarius in bractea insuper alterum, cernuum, vix odoratum, elegantem, Decembri se explicantem. Sunt autem hi scapi teretes, versus superiora graciliores, erecti, virides, a tribus ad sex uncias alti, sub flore rugosi, in decursu instructi bracteis duabus subovatis, concavis, sessilibus, saepius integerrimis, aut vero ad apicem emarginatis incisisve. Petala sunt in principio nivea cum basi virente; sed brevi, idque praeprimis externe, suffunduntur magis minusve colore roseo, evadunt firmiora, persistuntque in fructu fuscescentia; caeterum late ovata, integra, obtusa, planiuscula vel concava, expansissima aut paulo magis conniventia. Nectaria circiter octo, tenuiter pedicellata, tubulata, compressiuscula & bilabiata ex flavo virens; labio superiori multo longiore & emarginato, inferiore crenulato. Filamenta albent cum antheris flavis. Germina numero variant a quatuor ad octo. *Fructus* est similis Helleboro viridi. Folia sunt glabra, longe petiolata, digitataque ex foliolis ut plurimum septenis, lanceolatis, firmis, crassulis, obtusis vel acutis, superne serratis, breviter petiolatis, lateralibus pedatis. Folii variantis additur delineatio. Crescit in montibus quibusdam altioribus copiosissime.

TABULA DUCENTESIMA SECUNDA.

HELLEBORUS HYEMALIS. *Linn. syst. pag.* 381. *Crantz fasc. pag.* 133.
Hall. hist. helv. num. 1192.

Helleborus ranunculoides præcox tuberosus, flore luteo. *Moris hist. 3. p. 459. t. 12. t. 2. f. 4.*
Aconitum hyemale. *Cam. epit. pag.* 828.
Aconitum unifolium bulbosum. *Bauh. pin.* 183.
Aconitum luteum minus. *Dod. pempt. pag.* 311.

Tota planta glaberrima est, pro radice tuber habens transversim oblongum, inæquale, foris nigrum, intus albidum, fibris pallidis capillarum, & perenne. Ex hoc, primo jam vere brevique post solutas nives, folia diversis sæpe in locis exeunt gemina, alterum florigerum, sterile alterum multoque serius increscens. Petioli sunt his crassi, teretes vel inferne imprimis compressiusculi, fistulosi, erecti, plus minus quadrunciales. Ipsa vero folii pagina subrotunda expanditur horizontaliter in circulum, ad petiolum usque subquinquepartita, ut lobi sint ex lanceolato oblongi & acutiusculi, ac modo simplicissimi, modo varie lobati aut incisi. Florigero folio insidet flos solitarius & celeris ferme expers; cujus petala primo in campanam eriguntur, tandem patent deciduntque; cæterum flava, subovata, longitudinaliter & rugose lineata, obtusa, planiuscula, alterna angustiora, omnino sena, quo numero nec plura nec pauciora mihi videre contigit. Celeberrimus Hallerus, uno petalo florem quandoque diminui, ait, dum folii lobus unus tunc lateat est. Nectaria sena, staminibus breviora, hæc inter atque petala ponuntur, ex basi gracili & pallente abeuntia in tubulum flavum compressum & bilabiatum; labiis plerumque bidentatis, antico multo breviori. Stamina lutea, a viginti ad triginta, a corolla ad duplum superantur. Germina ut plurimum quina vel sena virent, in totidem capsulas transitura stylo persistente mucronatas, quatuor circiter seminibus subrotundis nigris rugosisque fœtas, & pedunculatas, ut pedunculi simul mentiantur columnam integram. Floret Martio. Fructus maturescit sub finem Aprilis vel Majo, & folia tunc brevi pereunt, ut nihil super tellure de planta supersit. Rara apud nos planta incolit loca montana & alpina.

TABULA DUCENTESIMA TERTIA.

LEUCOIUM ÆSTIVUM. *Linn. syst. pag.* 234. *Scop. carn.* 1. *p.* 234.
Leucoium bulbosum serotinum majus primum. *Clus. hist.* 170.
Leucoium bulbosum majus seu multiflorum. *Bauh. pin.* 55.
Polyanthemum. *Renеal. sp.* 101. *t.* 100.

Bulbus ovatus, ex squamis dense compactus, intus albus, & foris fuscescens generat folia ferme linearia, erecta, obtusa, integerrima, leviter carinata, sesquipedalia, plura; exteriora breviora, vaginantia, sicque reliquorum bases ligantia & includentia. Scapus compressus, anceps, fistulosus, foliisque paulo altior erigitur. Pedunculi ex eadem spatha fere egrediuntur quini, angulati, longi & uniflori. Petala concava & inodora utrinque albent cum macula ad apicem callosam conniventemque virente. Filamenta alba habent antheras luteas longasque. Stylus albus staminibusque longior infra stigma tenue & breve incrassatur parumper, & virescit. Flores eodem versus penduli sunt. Capsula ferme pyriformis, præ pondere suo immatura scapum versus terram trahens, matura membranacea nec perfecte sicca, trilocularis & trivalvis, semina continet plura, quorum pauca in quolibet loculamento ad perfectionem venire solent, eaque tunc atra lucida & subrotunda. Crescit in udis & subpalustribus. Floret Majo, dans semina Julio.

TABULA DUCENTESIMA QUARTA.

CARPESIUM CERNUUM. *Linn. syst. pag.* 547. *Scop. carn.* 2. *p.* 142.

Car-

Carpesium floribus terminalibus. *Hall. hist. helv. num.* 134.
Aster cernuus. *Col. ephr.* 1. *p.* 251. *t.* 252.
Aster cernuus Columnae, flore citrino. *Barr. ic.* 1242.
Aster atticus, floribus circa florem mollibus. *Amb. pin.* 266.
Chrysanthemum conyzoides cernuum, foliis circa florem mollibus. *Moris hist.* 3. *pag.* 18. *s.* 6. *t.* 5. *f.* 27.

Ex obliqua, perenni, subcelsente, unciali vel paulo longiore, calamum crassa, parum sapida, sibrisque validis capillato radice folia producunt primo anno radicalia, subsequis caulis foliosus, erectus, pedalis vel bipedalis, teres, striatus, hirsutus, calami crassitie, & superne ramosus. Folia ex oblongo lanceolata alternantur, acuta, rariter & obsolete serrulata, utrinque villosa, versus basin attenuata imprimis inferiora & radicalia. Rami terminantur in pedunculos sub flore incrassatos deorsumque inflexos; unde flos cernuus est. Calycis foliola exteriora foliis caulinis similia sunt, patentissima, valde inaequalia magnitudine. Interiora sunt erecta, inter se aequalia, oblonga, obtusa, virentia, ad marginem vero membranacea albaque. Corollulae simul discum planum constituunt aequalem & pallide flavescentem cum infusa tandem sordida fuscitate. Corollulae cum quadam flavedine virent, sunt tubulosae, & magis minusve ad limbum externe obsidentur corpusculis glandulosis pellucidis excoloribus & capitatis, quae modi etiam numerosiora summitatem germinis attenuatam circumdant. Limbus breviter quinquefidus & acutus patet in disci hermaphroditis, connivet autem in radii femineis. Antherae & stigma bifidum flavent. Receptaculo nudo plano punctato & amplo semina insident fusca, striata, ex ovali linearia, odorata, ad apicem angustatum glandulosa ac vistosa. Ad latus auctis sistuntur corollula feminea & semen; tum hoc in nativo volumine. Crescit in montanis sylvis, florens Augusto.

TABULA DUCENTESIMA QUINTA.

PEDICULARIS ROSTRATA. *Linn. syst. pag.* 407. *Scop. carn.* 1. *p.* 440.
Pedicularis rostrato-capitata. *Crantz. fasc.* 320.
Pedicularis caule procumbente, ramoso; floribus rostratis, sparsis. *Hall. hist. helv. enum.* 322. *tab.* 8. *fig.* 1.
Pedicularis caulibus reflexis, spica laxa purpurea. *Seguier. ver.* 3. *pag.* 125.
Alectorolophus alpina tertia. *Clus. hist.* CCXI.

Radix teres, inaequalis, brevis, praemorsa, calamum crassa, fibras laterales emittit crassas, longas, pallide flavescentes, caulesque e capite subsquamato ab uno ad quatuor, adscendentes, tres quatuorve uncias altos, paucis foliis valde inordinate vestitos, ad lentem levissime villosos, virentes vel purpureos. Folia radicalia sunt pinnata, longis & canaliculatis petiolis praedita, plurima: foliolis pluribus, oppositis vel alternis, pinnatifidis, subdentatis, ad oras saepe rubentibus, dense positis, crassiusculis; quorum ut figura melius pateat, microscopio aucta folii pars ad marginem depicta exhibetur. Caulina similia sunt, sed minora. Sic etiam folia floralia, quorum costa lata & submembranacea est. Omnium vero raris pilis albis adsperguntur, oculum nudum fugientibus. Flores aliquot, veluti in capitulum collecti, foliorum floralium dense positorum axillis solitarii insident, breviter pedunculati, & elegantes. Rarius apud nos in foliis inferioribus locantur, aut per alias distinctas sparsi, ut coma vel capitulum disparent, quales ex Helvetia plures vidi, optime in Halleriano icone expressos. Calyx oblongus, ventricosus, purpurascens, quinquangularis cum intermediis striis obsoletioribus, superne in quinque lacinias acutas erectas & ad apicem in bracteolam pinnatifidam abeuntes dividitur, sinu inferiore ampliore rotundato & paulo profundiore; angulis striis & limbi oris subvillosis. Corollae tubus te-

nuis

natis & calyce longior albet. Galea saturate purpurea, longa & erecta, incurvatur in rostrum tenue compressum & subulatum. Labii inferioris purpureo rubentis, ampli & plani laciniæ sunt subrotundæ, intermedia minore. Stylus galeam parumper superat. Capsula ovata, superne compressa, glabra, fusca. Semina oblonga, acuta, & angulata. Crescit in alpium jugis frequens. Floret Junio & Julio. Semina matura dat Augusto. Caules ramosos nunquam vidi.

TABULA DUCENTESIMA SEXTA.

PEDICULARIS VERTICILLATA. *Linn. syst. pag.* 407. *Scop. carn.* 2. *p.* 441. *Crantz. fasc. p.* 310.

Pedicularis foliis pinnatis, quaternis; floribus purpureis, spicatis. *Hall. hist. helv. num.* 318. *tab.* 9. *fig.* 1.

Caules ex eadem radice perennante, brevi, flavescente, & constante ex fibris fusiformibus, plerumque multi (sedecim aliquando numeravi) exsurgunt, erecti, ab uncia ad sex, etiam duodecim, uncias alti, hirsuti, subangulati & simplicissimi. Folia sunt pinnata, petiolata, mollia, ferme glabra; radicalia plura; caulina quaterna, opposita vel rarius terna, idque ut plurimum in toto caule bis, rarius semel, ter rarissime. Summa insuper subsessilia infra spicam plerumque adsunt quaterna. Foliola sunt oblonga vel subrotunda, sessilia, acute & inæqualiter serrata, parva, alterna vel opposita, distincta vel confluentia, viridia. Spica densa, paulatim producta, constat foliis integris sessilibus dentatis partisque, & floribus axillaribus brevissime pedunculatis ac solitariis. Calyx ex subrotundo ovatus, inflatus, pellucens, albidus, membranaceus, angulis decem virentibus pilisque violaceis longis praeditis notatur, superne brevissime quinquedentatus & connivens, perque incisuram inferiorem profundiorem transmittens corollæ tubum, propterea valde incurvatum. Hæc purpurascit. Galea tota exigitur, compressa, antice, uti in congeneribus, per totam longitudinem fissa, stylo paulo brevior. Labii inferioris laciniæ sunt subrotundæ, laterales majores. Antheræ nigrescunt. Capsula fusca, glabra, oblonga cum altero latere recto, altero obliquo dehiscente, semina continet ovata. Fructus praecedenti Pedicularis falcatæ adeo est similis, ut nequeat distingui. Cum eadem etiam crescit ac floret.

TABULA DUCENTESIMA SEPTIMA.

HELIOTROPIUM EUROPÆUM. *Linn. syst. pag.* 144. *Scop. carn.* 1. *p.* 120.

Heliotropium foliis petiolatis, ovatis; spicis inferioribus simplicibus; supremis gemellis. *Hall. hist. helv. num.* 593.

Heliotropium majus. *Clus. hist.* XLVI.

Heliotropium vulgare. *Boer. for. pag.* 19. *t.* 49.

Radix annua ramosa & fordide albescens promit caulem erectum, teretem, ramosum, semipedalem vel duplo altiorem. Planta tota inodora, villosa & parumper aspera est. Sapor subacris. Folia sunt ex ovato oblonga, obtusa, petiolata, integerrima, subincana, crassula & alterna. Rami terminantur in spicas, atque has inter summumque folium pergunt elongari, ut tunc spicæ foliis evadant oppositæ. Hæ flores dense locant, sursum versæ omnes, alternatim sessiles, superne, ubi adhuc florent, recurvatæ, in parte inferiore jam fructescente rectæ, tandem triunciales, pleræque conjugatæ. Calyx hirsutus ad basin ferme usque dividitur in lacinias quinque lanceolatas & acutas, in flore erectas & con-

connivente, in fructu patentissimus. Corolla alba, laciniasque habet obtusas, quas inter denticuli quandoque minores interpositi conspiciuntur, sæpe omnino absentes. Faux est pervia. Semina sunt quatuor, rotundato-ovata, fusca, maximam partem cortice adhærente tecta, ante maturitatem molli viridique, postea sicco ac rugoso. Crescit rarius in agris Austriæ; in vicina Hungaria autem copiosissime. Floret a Julio in Septembrem. Autumno semina maturescunt.

TABULA DUCENTESIMA OCTAVA.

GENISTA PILOSA. *Linn. syst. pag.* 475. *Scop. carn.* 2. *pag.* 52. *Crantz. fasc. pag.* 365.

Genista inermis, procumbens; foliis duris, subhirsutis; spicis floriferis brevibus. *Hall. hist. helv. num.* 351.

Genista ramosa, foliis hyperici. *Bauh. pin.* 395.

Genista humilior, Pannonica. *Tourn. inst.* 643.

Genistella pilosa. *Bauh. hist.* 1. *pag.* 395.

Chamægenista prima. *Clus. hist. pag.* 103.

Chamægenista foliis genistæ vulgaris. *Bauh. pin.* 395.

Chamægenista montana hispida. *Bauh. pin.* 396.

Ex radice ramosa, foris saturate fusca & sæpe longa caules exeunt fruticosi, lignosi, perennantes, ramosi, humi prostrati, tandem quandoque adscendentes, teretes, palmares aut pedales, striati, lenti, juniores virentes, annotiores fusci, glabri vel villosi, tuberculis, quibus insederant folia prisca, plurimus exasperati. Ex dictis enim tuberculis folia quaterna ad quina exoriuntur, in ramulis post integram florescentiam interdum solitaria & alternantia, obovata & angusta ovata, brevissime petiolata, integra, obtusa vel acutiuscula, parva, crassula, sericeo villo subtus & ad oras vestita, superne glabra, junioraque leviter complicata. Flores breviter pedunculati ex iisdem cum foliis tuberculis enascuntur solitarii, bini vel terni, plerumque inclusi, ob proximitatem sæpe veluti dense racemosi. Calyx parvus, sericeus, acutusque labium superius habet divisum in lacinias duas subovatas & profunde sectas; inferius in tres minimas. Corollæ luteæ vexillum amplum, cordato-subrotundum, extus subhirsutum, obtusissimum, quandoque emarginatum, & præditum ungue brevi reflectitur. Alæ oblongæ, obtusæ, glabræ, carinam æquantes, ungue donatæ tenui ac longiore, primum fere eriguntur, tandem laxe patent. Carina oblonga, erecta, extus sericea, & vexillo paulo brevior, in finem desinit obtusum integrumque. Filamenta decem in unum coalita corpus connascuntur, carinæ inclusum. Antheræ sunt aureæ. Germen lineare, teres, ac hirsutum, in stylum abit filiformem cum stigmate obtuso. Legumen oblongum, compresso-planum, acuminatum, fuscum, pilis albidis hirsutum, & unciale vel brevius, semina includit ab uno ad septem compressissima, fere orbicularia, nitida & fusca. Crescit in collibus saxosis & apricis; florens Aprili & Maio, semina perficiens Julio.

TABULA DUCENTESIMA NONA.

GENISTA SAGITTALIS. *Linn. syst. pag.* 475. *Scop. carn.* 2. *p.* 51. *Crantz. fasc.* 367. *Mill. ic. tab.* 259. *f.* 2.

Genista foliis caule appressis, ellipticis; flore patente ovato lanceolato. *Hall. hist. helv. num.* 353.

Genista sagittalis pannonica. *Camer. hort. tab.* 12.

Chamægenista altera. *Clus. hist.* 103.
Chamægenista sagittalis. *Bauh. pin.* 395.

Radix longa, lignosa, fusca, ramosa & perennis infra telluris superficiem horizontaliter serpit, fibrillas tenuissimas hic deorsum demittit, hincque divisa cauliculos cæspitose promit annuatim multos, herbaceos, simplicissimos, graciles, subarticulatos, vix manifeste pilosos, semipedales, virentes, erectos: alios ad apicem floriferos, per quorum totam longitudinem alis decurrentibus foliaceos a tribus ad sex angulosos; alios steriles semperque bialatos. Radicis sapor exsiccans est. Folia ex ovato lanceolata, sessilia, integerrima, utrinque, sed facie minus, molliter pilosa, ad distantias varias contractis caulium alis rara insident. Bracteæ sunt parvæ lanceolatæ & hirsutæ. Flores subsessiles in capitulo oblongo terminali colliguntur. Calycis flavescentis & pilosi labium inferius paulo est longius superiori. Corollæ luteæ vexillum subrotundum, amplum, emarginatum. Alæ erectæ, concavæ & obtusissimæ. Carina vere & ex integro dipetala, alis simillima, sed magis connivens. Petala omnia longitudine gaudent æquali. Filamenta connata omnia pallent. Antheræ oblongæ & aurantiacæ eriguntur. Germen hirsutum stigmate simplici donatur. Legumen oblongum, acutum, compresso-planum, valde undiqueque pilosum, semina continet paucissima, plerumque unum alterumve, subrotundo-reniformia. Crescit in sylvaticis pratis siccis raro. Floret Majo. Fructus maturescit Julio.

TABULA DUCENTESIMA DECIMA.

RHUS COTINUS. *Linn. syst. pag.* 218.
Rhus racemis plumosis, foliis ovatis. *Hall. hist. helv. num.* 827.
Cotinus Coggygria. *Scop. carn.* 1. *p.* 220.
Cotinus coriaria. *Dod. pempt.* 6. *l.* 2. *c.* 19. *Du Hamel. arb.* 1. *p.* 191.
Coggygria. *Clus. hist.* 16.
Coccigria Theophrasti. *Lob. ic. alt.* 99.
Coccomilea sive Coggygria. *Bauh. pin.* 415.

Frutex a quatuor ad octo pedes altus, radici insistens ramosæ, diffusus, cujus omnis cortex sapore gaudet adstringente & balsamico totus, odorem spirat etiam balsamicum, si teratur, & cortice obducitur duplici, exteriore fusco & tenui, interiore autem crassiore albo siccoque glutinosum balsamicum læsa emittente. Rami juniores virent. Folia sunt utrinque glabra, ovata vel obverse ovata, integerrima, obtusa, venosa, firma, sparsim alternantia, virentia cum nervo medio petioloque sæpe rubentibus. Flores exigui locantur in panicula terminali, a tribus ad sex uncias longa, interne rara, superne densiore. Stipulæ pedunculis subjacent lineares. Calycis persistentis semiquinquefidi virentis & patentissimi laciniæ sunt oblongæ & obtusæ. Petala sunt oblonga, plana, patentissima, obtusa, subvirentia, & calyce paulo longiora. Filamenta eriguntur. Antheræ fuscescunt. Receptaculum, cui germen immergitur, colore est aurantiaco. Fructus glaber, siccus, valde compressus, obverse semicordatus altero suo latere ferme abbreviato, fuscescit; ante maturitatem virens ac nitidissimus. Constat membrana exteriore rugosa; alia interiore duriore; & semine unico, cui est nucleus albidus membrana propria inclusus, ut fructus drupa dici sicca possit. Pedunculi post florescentiam miro atque omnino eleganti spectaculo in fila capillaria hirsuta & rubra producuntur, quibus pauci inhærent fructus, quum plerique abortare soleant. Istis panicularis hirsutis tunc totus sæpe frutex obtegitur. Crescit in Austria in sylvarum montanarum marginibus nunc rarius. Floret Majo & Junio, Julio fructus maturescit. Flos & fructus aucti adstant ad latus.

TA-

TABULA DUCENTESIMA UNDECIMA.

SALVIA ÆTHIOPIS. *Linn. syst. pag.* 66. *Crantz. fasc. p.* 238.
Æthiopis foliis sinuatis. *Bauh. pin.* 241.
Æthiopis laciniatis foliis. *Barr. ic.* 188.
Marum ægyptiacum. *Ap. cent. pag.* 253.

Graveolens tota & speciosa planta ex radice digitum ferme crassa primo ætatis anno sola folia radicalia promit, altero caulem unicum sesquipedalem, vel ad summum tripedalem, erectum, tetragonum, firmum, striatum, alba lanugine vestitum, intus medulla alba plenum, inferne simplicissimum, hinc per ramos oppositos subdivisus & adscendentes valde paniculatum. Folia sunt opposita, ovata, acuta, minutim crenulata, magis minusve sinuata, admodum rugosa & venosa, tomentosa lanuginosa & incana, facie subviridi lana; radicalia petiolis donata lanuginosis, sesquipedalia, in culta stirpe interdum sesquipedalia, cujusmodi minus aliquod non coloratum adjungi curavi. Caulina superiora sunt sessilia, summa quadrata ad ramos recurvata. Bracteæ sunt late subrotundæ, concavæ, nervosæ, villosæ, molliter mucronatæ, ad basin albæ, cæterum virentes cum oris quandoque purpurascentibus. Flores terni, aut bini, & brevissime pedunculati calyce [illegible] plurima alba lana obtecto, cæterum virente, cujus labium superius in tres dentes [illegible] desinit, cum intermedio dente breviore minusque profunde inciso; inferius autem in duos. Petali nivei, ad lentem hirtuli & punctati, tubus est brevis, galea [illegible], labii inferioris laciniæ laterales oblongæ, media [illegible] post ea [illegible]. Semina [illegible]. Reliqua sunt generis. Crescit ad scrobes & in apricis fecundis. Floret sub finem Junii.

TABULA DUCENTESIMA DUODECIMA.

SALVIA SYLVESTRIS. *Linn. syst. pag.* 65. *Scop. carn.* 1. *p.* 27. *Crantz. fasc. p.* 241.
Salvia nemorosa. *Crantz. fasc. pag.* 242.
Hormini sylvestris quinti species prior. *Clus. hist.* XXXI.
Horminum sylvestre salvifolium minus. *Bauh. pin.* 239.
Hormini sylvestris quinti species altera. *Clus. hist.* XXXI.
Horminum sylvestre salvifolium majus, vel maculatum. *Bauh. pin.* 239.

Tota odorata & aromatica est. Radix lignea, perennis, ramosa, longa & fusca caules plerumque plures annuatim producit, adscendentes vel magis erectos, a dimidio ad duos pedes altos, tetragonos, ramosos, brevi villo vestitos, modo purpurascentes, modo pallide virentes. Folia sunt oblonga, ad basin vix cordata, obtusa vel acuta, breviter petiolata, obtuse & inæqualiter serrata, crassula, fere glabra, dorso ad lentem subtomentosa, per venas valde reticulata & rugosa, ex incano sordide virentia, interdum pallidis maculis adspersa [illegible]que. Rami in spicas elongantur plus minus semipedales erectasque. Bracteæ sunt ex subrotundo acuminatæ, concavæ, villosulæ, longitudine calycum, purpurascentes magis minusve, raro virides, tres flores singulæ foventes. Calyx subvillosus & striatus ex viridi purpureoque variegatur, magis interdum vergens in colorem alterutrum, adeo ut in aliis individuis purpurascat, virescat in aliis fere totus; labio inferiori bifido & acuminato; superioris apice brevissime & obsolete tridentato. Corollæ tubus albet; limbus unicolor modo fere cyaneus est, modo magis purpureus. Quin etiam rara specimina corollis plane albis bracteisque virentibus donata inveni. Galea oblonga ad lentem conspicitur dorso hirsuta & undique guttulis pellucidis minimisque adspersa. Labii inferioris laciniæ laterales sunt oblongæ & concavæ; intermedia est subrotunda concava & emarginata. Stamina supra appendicem villosula sunt, & petalo breviora. Anthe-

deræ oblongæ flavent. Stigma bifidum extra emarginaturam galeam prominet. Semina sunt fusca. Crescit passim ad agrorum margines & ad vias. Floret Julio, Augusto & Septembri.

TABULA DUCENTESIMA DECIMA TERTIA.

EUPHORBIA DULCIS. *Linn. syst. pag.* 333. *amœn. acad.* 3. *p.* 122. *Scop. carn.* 1. *p.* 334.
Tithymalus nemorosus alter, foliis latioribus & tenuioribus. *Baur. n.* 840.
Tithymalus non acris, flore rubro. *Bauh. hist.* 3. *p.* 672.
Tithymalus montanus non acris. *Bauh. pin.* 292.
Pityusa seu Esula minor altera floribus rubris. *Lob. ic.* 358.
Esula solisequa. *Rev. inv. tab.* 117.

Radix constat tuberibus subrotundis, ad apicem truncatis & cicatrice a praecedentis caulis denatis, colore plus minus crassis; tibi cum fa fusa partim subrubro, veluti in unum serie longitudinali & horizontali corpus connatus, cum fibris longis in terram demissis. Caulis unus alterve, annuus, pedalis, teres, erectus, simplex, ad oculum armatum parum-per villosus, umbella terminatur quinquefida, aut plerumque simplicissima, aut cum radiis semel bifidis. In culta autem planta caules numero augentur, ex superiorum foliorum axillis ramulos bifidos emittunt, umbellaeque terminatrices radios habent, semel vel etiam bis bifidos. Folia sunt oblonga, obtusa, subsessilia, integerrima aut obtusum tenuissime per totum ambitum serrulata, patentia, utrinque villosa ad lentem, bimalia, alternantia. Involucrum pentaphyllum foliis simile est. Involucella sunt ex foliis binis oppositis, cordatis, acuminatis, semper serrulatis, eodem quo folia caulina colore donatis, quibus modo breviora, modo longiora occurrunt. Flores minuti, alii steriles germine destituuntur, quos inter proprinis sunt flores in centro umbellae locati, alii plerique fertilitate gaudent. Omnibus petala sunt quatuor, caque subrotunda, integerrima, & atropurpurea. Calyx ferme glaber viret. Germen est hirsutum. Capsula fusca, verrucosa itemque villosa, continet semina subrotunda, nitida, glabra, & eundem nigricantia cum hila albido. Crescit in montosis umbrosis; florere incipiens sub finem Aprilis, fructus Junio perficiens. Ad finem exhibentur in nativo statu fructus & semen recens. Auctus dein flos, cujus petalum quartum in opposita parte latet. Verum Tithymalus *foliis oblongis serratis, stipulis umbellarum quinis, floralibus cordatis, fructu perasperso* Halleri num. 1051, cui flos flavus est, & flava sunt tota involucella, alterius summopere planta atque a clarissimo Myguedo etiam in Austria detecta, utrum hujus sit Euphorbiae varietas, an species distincta, porro restat investigandum.

TABULA DUCENTESIMA DECIMA QUARTA.

LINUM FLAVUM. *Linn. syst. pag.* 224. *Scop. carn.* 1. *p.* 230.
Linum sylvestre tertium latifolium. *Clus. hist.* 317.
Linum sylvestre latifolium luteum. *Bauh. pin.* 214.
Linum latifolium luteum. *Bauh. hist.* 3. *p.* 454.

Multos annuatim ex codice perennante lignosa contorta multiplicisque & fuscescente herbaceos erigit caules, dimidium vel sesquipedem altos, glabros, membranis paucis breviterque eminentibus, quæ videntur a foliorum lateribus dorsoque medio decurrere orcum, angulatos, & ad summitatem subdichotome ramosos. Folia sparsim alternantur, sessilia,

an-

anguste lanceolata, acuta, integerrima, glabra, crassiula, plus minus sesquncialia, ad caulem utrinque in ipsa origine instructa glandula sessili badia, superisque amari & glutinosi. Flores elegantes erecti breviterque pedunculati locantur in dichotomiis ipsis alii, alii juxta ramorum longitudinem. Calycis virentis foliola sunt acuminata, lanceolata, & ad microscopium albide serrato-spinosa, uti ex aucto tali addito in tabula foliolo apparet. Petala calycem ter superant, flava, striato-venosa, ampla, obtusissima. Filamenta etiam flava eriguntur, quinque alterna calyce duplo longiora antheris praedita luteis; alia quinque brevissima & sterilia. Styli flavescunt. Capsula subrotunda & acuta fuscescit. Haec adsunt etiam depicta ad marginem. Crescit secundum sepes & frutices in montanis locis, ubi floret Junio & Julio, semen perficiens Septembri.

TABULA DUCENTESIMA DECIMA QUINTA.

LINUM TENUIFOLIUM. *Lin. syst. pag. 224. Scop. tom. 1. p. 230.*
Linum foliis linearibus, calycibus longe aristatis. *Hall. hist. helv. num. 838.*
Linum sylvestre quintum, angustifolium secundum. *Clus. hist. 318*
Linum sylvestre angustifolium, flore magno. *Bauh. pin. 214.*

Colles apricos siccos tenuique gramine vestitos frequens incolit, ex radice lignosa perenni ramosa pallente & per aetatem multicipite caules promens plures, basi adscendentes, hinc erectos, teretes, glabros, annuos, semipedales vel duplo altiores, superne ramosos undeque foliis minus dense obsitos. Folia sunt angusta, acuminata, firma, nitida, sparsa, pollice plerumque breviora, sessilia, ad lentem spinulis albidis sursum arcuatis ciliata. Flores subpaniculati pedunculisque habent foliola calycis ex ovato aristato-acuminata, rigidula, ad basin pallide virentia & campanulata, dein patula & purpurascentia, per lentem conspecta ad oras pilis sive glandulis capitatis albidis ciliata. Petala sunt rosea aut purpurea aut alba, (nam sic solent in diversis variare,) & calyce duplo ferme longiora. Filamenta quinque fertilia inferne latescunt. Sterilium rudimenta in hac planta invenio nulla. Fructus est ex subrotundo acuminatus & glaber. Flores a Junio ad Augustum. Semina maturescunt Augusto & Septembri. In altera tabulae margine aucta exhibentur foliolum calycis & folii caulini pars; in altero paniculae pars fructescentis naturali in statu.

TABULA DUCENTESIMA DECIMA SEXTA.

ALLIVM VICTORIALIS. *Lin. syst. pag. 258.*
Allium radice oblonga, reticulo obducta; foliis ovato-lanceolatis; umbella sphaerica. *Hall. hist. helv. num. 1129.*
Allium alpinum. *Rauh. inst. 2. p. 566.*
Allium anguinum. *Cam. epit. p. 329.*
Allium montanum latifolium maculatum. *Bauh. pin. 74.*
Victorialis longa. *Clus. hist. 189.*

Odor alliaceus debilior huic plantae est. Bulbus ex basi crassiuscula cylindraceus tuber nitidus, cauli que similis ipsi, foliis fere foliorum vaginis & caule inclusis constat, tunicis vestitus pluribus crassis fuscis & exterioribus reticularis, quae illi proprie bulbi formam ex ovato oblongam tribuunt; hinc fibras longas numerosas & subdividuas terrae immittit; ipse vero per aetatem in appendicem lignosam & circulariter scabram producitur. Horizontaliter crescit; & plures sin sibi mutuo adhaerere solent. Primis annis sola bina vel terna fo-

porrinis, angustiora; eandem caulem pedalem aut altiorem, erectum, superne graciliorem aphyllum & angulatum, inferne teretem virentem cum adspersis maculis purpureis digitumque minimum saepe crassum. Folia duo vel tria ex vagina amplexicauli oriuntur, lanceolata, sine nitore virentia, glabra, nervosa, a tribus ad sex uncias longa, duas plus minus lata. Umbella sphaerica, ex vagina erumpens spathacea tenui brevi latque, per pedunculos semiunciales & ad basin purpurascentes, flores colligit dense plurimos. Hic petala sunt alterna tria ovata obtusa triploque latiora; reliqua tria lanceolato-oblonga; omnia cum quodam virore sordide albentia patulaque. Filamenta subulata albida erectaque corollam ferme ad duplum superant, alterna, quae ante petala latiora locantur, ad basin parumper dilatata, nec mihi visa cuspidata. Antherae ex flavo virent. Germen subrotundum & triquetrum viret. Stylus albet. Fructus est tricoccus. Semina atra rugosa & nitida. Crescit in pratis alpinis. Floret Julio. Semina perficit sub finem Augusti. Ad marginem adstant flos, fructus, & bulbus tunicis spoliatus cum appendice sua.

TABULA DUCENTESIMA DECIMA SEPTIMA.

RHODODENDRUM CHAMÆCISTUS. *Linn. syst. pag.* 299. *Scop. carn.* 1. *p.* 287.
Chamaecistus villosus. *Clus. hist. p.* 76.
Chamaecistus hirsutus. *Bauh. pin.* 466.
Cistus pumilus montis Baldi. *Raii. hist.* 2. *p.* 19.
Cistus Chamaerhododendros foliis confertis tereti rubigine nitentibus margine pilosis. *Plukn. alm.* 106. *t.* 23. *f.* 4.
Ledum foliis serpilli ad margines cilii instar pilosis, flore purpureo. *Mich. gen. p.* 225. *t.* 106.

Elegans fruticulus ex radice lignosa dura ramosa diffusa & nigrescente caules promit lignosos, ramosos, fuscos, a foliis delapsis tuberculatos, admodum breves, plures. Folia extremos ramulos ornant sparsa, ovata, petiolata breviter, subacuta, crassula, firma, ad oras pilis albis ciliata, conferta, utrinque glabra lucida & virentia, parvula. Pedunculi ramulos terminant aut solitarii, aut umbellatim bini vel terni, perpetuo uniflori, subunciales, erecti, teretes, rubri, villosi, singuli orti ex squamis duabus oppositis ovatis concavis obtusis virentibusque cum suffuso rubore, plane sparsis. Foliola calycis sunt oblongo-lanceolata, acutiuscula, patentissima, petalo duplo breviora, concava, pilis capitatis villosa, saepe tincta rubedine, persistentia. Corolla aut carnea, aut saturatius purpurea, & rotata dividitur in lacinias ovatas, obtusas, aequales, planiusculas, & ad exortum ex rubro saturato striatas. Filamenta decem, albida, subulata & petala ferme longitudine patent in orbem. Antherae atrorubent. Stylus in aliquam partem declinatur. Flores per pedunculum recurvatum spectant explicati extrorsum. Fructus tamen erigitur; qui est capsula subrotunda, obtusa, quinquelocularis, subinfera, quinquedentata, ad apicem dehiscendo patens. Semina sunt numerosa & exigua. Crescit in alpibus. Floret Junio & initio Julii. Perficit semina Septembri.

TABULA DUCENTESIMA DECIMA OCTAVA.

SCILLA AMOENA. *Linn. syst. pag.* 243.
Hyacinthus stellaris caeruleus amoenus. *Bauh. pin.* 46.
Hyacinthus stellaris, caulibus pluribus ex eodem bulbo ortis, singulis pluribus floribus oneratis. *Moris. hist.* 2. *p.* 374. *s.* 4. *t.* 12. *f.* 27.

Hya-

Hyacinthus stellatus Byzantinus. *Besl. eyst. vern. 8. 2. fol. 13. fig. 3.*

Austriacis civibus adnumero hanc plantam, olim forte Constantinopoli allatam, nunc in prato quodam copiosissime & vere sylvestrem ad ripas Danubii crescentem; ubi quotannis sub finem Aprilis floret, fructus fere maturos sub finem Maji & Junio ineunte, quando brevi postea folia marcescunt, ut vestigium plantae ulterius haud appareat. Tota glaberrima est. Bulbus squamosus, compactus, interne albus, externa tunica saepe fuscescente, ex ovato subrotundus, & ad latera sobolem gignens, folia emittit circiter quatuor, plus minus pedalia, dimidiam unciam lata, planiuscula, patula, in obtusum solidumque apicem terminata, laete virentia, mollique. Scapus in planta sylvestri dumtaxat unus alterve, plures in culta, compresso-angulatus, longitudine circiter foliorum, superne racemose ex tribus vel quatuor constituitur floribus racemosis, saepe purpurascens obscure, florens erigitur, fructescens prae capsularum immaturarum pondere propriaque debilitate totus in terram prosternitur. Flores inodori habent petala caerulea cum basi alba, plana, fere aequalia, oblongiuscula, decidua, patentissima cum apicibus quandoque reflexis. Filamenta caerulea & subulata cum basi leviter dilatata compressaque gerunt antheras ex atro caeruleas. Germen viret. Stylus albet. Capsula subrotunda, rugosa, membranacea, fere [illegible] cum [illegible] rubore, [illegible] in tres valvulas dehiscit, dum [illegible]; continetque in quolibet loculamento semina pauca globosa & fusca.

TABULA DUCENTESIMA DECIMA NONA.

VALERIANA ELONGATA. *Linn. syst. p. 77. Jacq. vindob. p. 205. t. 1. Scop. carn. 1. p. 35.*
Nardo celticae similis alia, sive Valeriana alpina minor. *Bauh. apud Linn. amoen. 1. p. 154.*

Plantula erecta, nitida, a quatuor ad sex uncias alta. In summis alpium jugis loco saxoso nascitur, Florens Junio Julioque, culta in horto [illegible] ineunte Majo, nec habitum hic mutans. Radix perennis, [illegible] aut brevioribus, teres, fuscescens. [illegible] atque [illegible], [illegible] ramosa atque sic multiceps caules plures emittit. Folia radicalia ovata, [illegible], magis minusve inciso-dentata, obtusiuscula, petiolata, venosa, crassula, [illegible] virent. Caulina [illegible], opposita per duo vel tria paria, sed sessilia, & summa fere semper inciso-trifida. Caulis simplicissimus terminatur in racemum compositum elongatum aut in [illegible] magis contractum in individuis brevioribus, [illegible] pedunculos communes oppositos breves paucosque flores leviter odoratos [illegible]. Corolla quinquefida, [illegible], colore sordide [illegible] ex fusco [illegible] flavescens. Stamina tria brevia. Stylus etiam brevis, & crassus. Stigma obtusum. Semina papposa.

TABULA DUCENTESIMA VIGESIMA.

POTENTILLA CAULESCENS. *Linn. syst. pag. 351.*
Fragaria foliis ovatis, apice serratis, oris sericeis, pappo placentae longissimo. *Hall. syst. helv. num. 1123.*
Quinquefolium album majus. *Bauh. prodr. p. 139.*
Quinquefolium album majus caulescens. *Bauh. pin. 325.*

In montibus demissioribus haud minus quam in summis nostrarum alpium jugis, licet utrobique haud frequentem, ac semper eodem habitu crescentem, arbitror, me recte a

Potentilla Clusiana, in altera Florae Austriacae centuria exhibita, separasse. Sola petalorum constans angustia coalescentem illico indicat; dum simul utriusque formae integra diversitatem habet, in vivis facile observabilem. Radix perennis, lignea, digitum crassa, foris nigrescens, plerumque intorta, fissuris rupium profunde innascitur, ut aegre evelli nequeat, superne multiplex in cauliculos fruticosos lignosos pollicem producitur, obvallatos densissime praemorsorum foliorum stipulis. Ex his cauliculi eriguntur annui, herbacei, hirsuti, foliosi, teretes, graciles, a tribus ad sex uncias alti, ad summitatem divisi in ramulos bifloros vel trifloros. Folia radicalia sunt digitata & quinata omnia, petiolata, utrinque mollibus albidisque pilis hirsuta, donata stipulis linearibus: foliolis obverse ovatis, sessilibus, ad apicem serraturis acutis a tribus ad septem inaequaliter incisis, caeterum integris. Caulina sunt pleraque ternata cum stipulis successive latioribus magisque ovatis. Summa ad pedunculos sunt simplicia; aut nulla, dum solae stipulae adsint subbifidae aut inaegerrime ovatae. Folia vix conniventi nisi juniora. Flores erecti inodori corymbosi & pedunculati calyce gaudent hirsuto, virente ex integro vel cum purpura ad apices suffusa. Petala sunt alba, oblonga, obtusa, plana, patentissima, & calyce paulo longiora. Filamenta pallent cum antheris sulphureis. Styli superne fuscescunt. Receptaculum ex albo densque pilosum est. Semina fusca pilis vestiuntur albis, stylumque persistentem gerunt. Floret Augusto. Fructificat Septembri.

TABULA DUCENTESIMA VIGESIMA PRIMA.

JUNCUS JACQUINI. *Linn. syst. pag.* 251.

Juncus folio subulato; capitulo subquadrifloro, terminali. *Jacq. enum. vind. pag.* 237. *t.* 4. *f.* 2.

Juncus caule unifolio, petiolis bifloris, floribus umbellatis. *Hall. hist. helv. num.* 1316.

Juncus alpinus, capitulo glomerato & nigro splendente. *Scheuchz. it.* 1. *p.* 40. *t.* 5. *f.* 2.

Juncoides alpinum, flosculis junci glomeratis, atrofuscis. *Scheuchz. agrost. p.* 323. *t.* 7. *f.* 9.

Caespitosa eaque glaberrima planta ex radice perenni fusca horizontali nodosa fibrasque praelongas perpendiculariter terrae immittente culmos juxta invicem plures prominentes, simplicissimos, teretes, erectos, a tribus ad sex uncias altos, basi vaginis paucis vestitos. Folium in culmo unicum, subulatum, teres, sulco levissimo exaratum, apice acuminato sphacelatoque, suberectum, basi vaginans culmumque amplectens, pro varia ortus sui in culmo altitudine (quae valde inconstans quidem, rarius tamen in ipsa basi conspicitur,) varie eundem excedens & sic longitudine diversum. Folia etiam sine culmo mere radicalia adsunt alia, caeterum prioribus similia. Culmum terminat gluma bifolia aut unifolia, lanceolato-aristata, tenuis, membranacea, ex fusco pallens. Pedunculus ramosus brevisque flores colligit a tribus ad septem, quos decem quoque vidit illustris Hallerus, propriis pedunculis brevissimis, ex obscure bifida quadam ramificatione ortis, innixos, magnos pro plantae compendio. Clausi sunt acuminati & triangulares. Calyx constat e glumae propriae bivalvis foliolis subrotundis concavis obtusis parvis & ex fusco purpurascentibus. Tum ex perianthii foliolis lanceolatis, concavis, mucronatis, rigidis, ex spadiceo nigris, nitidis. Filamenta brevissima gerunt antheras lineares longas flavas & fere florem aequantes. Germen viret. Stigmata spiraliter intorquentur, rubra villosa & flore duplo longiora. Capsula obtusa & sulcata includit semina pauca ovata & acuminata. Coli facile se patitur in horto, nec mutat habitum. Crescit in summis alpibus, floreus Junio.

TABULA DUCENTESIMA VIGESIMA SECUNDA.

RANUNCULUS ILLYRICUS. *Linn. syst. pag.* 379. *Crantz. fasc. pag.* 113. *Lobel. ic.* 672.

Ranunculus illyricus, radicibus bulbosis, foliis oblongis. *Bauh. hyst.* 3. *p.* 863.

Ranunculus grumosa radice quartus. *Clus. hyst.* 239.

Ranunculus lanuginosus angustifolius, grumosa radice maior & minor. *Bauh. pin.* 181.

Tubera numerosa, parva, oblonga, sordide albentia, aggregataque cum immistis fibrillis, sobolem generant similem, aut nucei adnascentem, aut per bifibrillam albicantem a matre magis minusve remotam. Caulis pedalis teres & erectus dividitur superne in aliquot pedunculos unifloros. Folia radicalia in junioribus plantulis primo prodeuntia sunt integerrima nec divisa; caeterum sunt illa petiolata & ternata; foliolis bifidis & subfissis, etiam simplicia; in aliis autem individuis saepe magis atque inordinate composita, uti ex truncatae plantae adiecta icone videre est. Foliola sunt ex lanceolato linearia, longa, acuta & integra. Caulis, pedunculi, & folia molli & incana lanugine obtieguntur. Calycis pentaphylli foliola interne virent cum ora albente, extus ex albo lanuginosa sunt, totaque reflectuntur, eodemque decidua. Petala ampla, calyce ad unam tertiam longiora, facie lucida & flavescentia cum ungue virescente, dorso veluti virore flavo quodam tincta, quina vel sena, plana, & patentissima. Stamina flavent. Germinum capitulum ex ovato oblongum, ex flavo virens, stigmata habet villosa. Semina sunt glabra & rostrata. Crescit in collibus herbaceis aridis. Floret Majo & initio Junii. Fructus Julio maturescit.

TABULA DUCENTESIMA VIGESIMA TERTIA.

INULA OCULUS CHRISTI. *Linn. syst. p.* 557.

Conyza tertia austriaca. *Clus. hyst. p.* XX.

Conyza pannonica lanuginosa. *Moris. hyst.* 3. *s.* 7. *t.* 19. *f.* 1. *Bauh. pin.* 265.

Aster montanus hirsutus sive Oculo Christi similis, si non idem, sive Conyza tertia Clusii. *Bauh. hyst.* 2. *p.* 1047.

Helenium lanuginosum angustifolium, summo caule ramoso. *Vaill. act.* 1720. *p.* 391.

Ex radice perenni, terete, fuscescente, gracili, subodorata, amaricante, fibrillis onusta longis, horizontaliter serpente ramosaque, caules emittit plerumque duos aut plures, pedales, toti lanuginosos, erectos, firmos, raro unifloros, at saepius ex foliorum alis magis minusve ramosos. Folia sunt oblonga, acuta, venosa, rugosa, crassa, integerrima aut obsolete denticulata, longa, utrinque lanuginosa & incana, radicalia & caulina infima versus basin angustata in petiolum, reliqua sessilia aut amplexicaulia. Flores odorati eriguntur. Calyx villosus & incanus squamis componitur densis acutis radioque corollae patentissimo triplo vel quadruplo brevioribus. Corolla est lutea. Feminae in radio quaedam sunt integerrimae, plerumque tamen tres vel duos denticulos ad apicem habent. Antherae setas generis monstrant. Congruunt etiam caetera. Crescit in locis aridis; florens Julio. Culta valde caespitosa evadit, altior ramosiorque, at minus incana.

TABULA DUCENTESIMA VIGESIMA QUARTA.

LYCOPERDON RAMOSUM.

In adscensu ad montem Gans mense Augusto, loco umbroso sterili jamque subalpino, invenimus hunc fungulum, ligno putrido aggregatim innascentem. Forme turbinati

aut paulo magis rotundati, foris sordide albentes, intus candidi, integri, tuberculis ad lentem tantum bene conspicuis in verticem imprimis asperi, ligni superficiei basibus suis immerguntur. Solutis suspensa prudentique manu ligni fibrillis, videmus omnes cohaerere filo tenuissimo ramoso, quod cunctis dat originem, dum per ipsam ligni substantiam penetrat, ramuloque ad cujuslibet fungoli basin usque pertingit. Bene maturos haud vidi. In tabula exhibentur fungoli ligno inhaerentes, cum ligno exempti; dein auctus aliquis integer, idemque perpendiculariter discissus.

TABULA DUCENTESIMA VIGESIMA QUINTA.

SYMPHYTUM TUBEROSUM. *Linn. syst. p. 147. Jacq. Obs. p. 3. pag. 12. tab. 65. Scop. carn. 1. p. 127. Reich. syst. 3. p. 594. Hall. n. 585.*
Symphytum tuberosum majus. *Clus. hist. CLXI.*
Symphytum majus, radice tuberosa. *Bauh. pin. 259.*
Symphytum radice tuberosa. *Cam. epit. 761.*
Symphytum minus, radice tuberosa. *Bauh. pin. 259.*

Quae in Observationibus meis Botanicis circa hanc stirpem disserui, hic fere repeto. Uti primo intuitu a Symphyto officinali distinguitur facillime, sic aegre in utroque observantur notae, quibus hoc discrimen apte exprimi possit. Decurrunt quidem communiter in Symphyto officinali per caulem, saepe integrum, multo magis quam in tuberoso folia, redduntque hunc illum angulatiorem. Sunt in eodem omnia frequenter hispidiora. Tum quoque folia hujus saepius subdecurrentur. At non sunt haec perpetua. Quandoque enim in tuberoso folia per caulem decurrunt folio longius; minus decurrunt folia in pluribus Symphyti officinalis individuis; unde valori in medio sic termino nota haec distinctiva confunditur, adeoque disparet. Idem dicendum de hispiditate est, nec minus de foliorum illa summorum alternatione, quae in officinali atque tuberoso opponuntur, quam vicissim alternantur in tuberoso. In floris structura, praeter utrique communes variationes, nihil adeo diversi videre potui. Verum, certum, constansque discrimen obtinet in florendi tempore atque in figura radicis, quibus loci natalis & staturae diversitas adjungi potest. Floret tuberosum in demissis locis calidisque in horto jam circa medium Aprilem, ac jam ante Maii finem haud amplius conspexeris florentem. In montanis tamen floret paulo serius. Officinale Junii primos expandere flores solet, pergitque per magnam aestatis partem. Hujus itaque respectu tuberosum praecox valde est. Tuberosum propriam loca sylvatica & fruticosa amat, ubi rarissime offenderis officinale. Habitus est tuberoso, quam officinali, multo tenerior; statura minor; folia, racemi, flores, calices omnique pauciora. Radix autem quam maxime & constanter discrepat; quae in tuberoso est verum tuber, in principio simplex, in annosa planta ramosum, breve, primo anni foris etiam albidum, postea extus nigrescens, nunquam in fibras illas crassas longasque, uti in officinali, extensum. Corollae semper sunt ochroleucae vel magis albae, nunquam purpureae. Antherae luteae.

TABULA DUCENTESIMA VIGESIMA SEXTA.

LILIUM BULBIFERUM. *Linn. syst. pag. 240. Scop. carn. 1. p. 240.*
Lilium caule folioso; foliis sulcatis, gramineis; floribus campaniformibus, intus lacerosis. *Hall. hist. helv. num. 1232.*

Li-

Lilium purpureo-croceum majus. *Bauh. pin.* 76.
Martagon bulbiferum tertium. *Clus. hist. pag.* 136.

Bulbus subrotundus constat squamis crassis, albis, laxeque sibi mutuo incumbentibus; ex basi generant fibrillas crassas, adultiores circularibus lineis sulcatas. Caulis simplicissimus, erectus, sesquipedem altus, striato-angulatus, glaberque aut subpilosus, foliis ornatur numerosis, sparsis, superioribus horizontaliter patentibus, acutis, integerrimis, obsolete hirtulis, ad tactum paululum asperis, saturate virentibus, subnervosis, sessilibus, lanceolato-linearibus, tres quatuorve uncias longis. Singula, inferioribus exceptis, in axilla gerunt bulbillum unum alterumve vel rotundum nitidum diluteque virentem, qui terrae mandatus in verum bulbum transit. Pedunculus caulem terminat teres crassus ac villosulus, aut solitarius, aut umbellatim bini, terni vel quaterni; alii aphylli, alii bractea una aut altera instructi. Flos erigitur, campanulatus, inodorus, speciosus, intus ex aurantio rubens, foris pallide aurantiacus. Petala omnia intus a basi ultra medietatem lamellis & apophysibus scabra sunt, punctis paucissimis adsperguntur nigris, limbumque habent patentem quidem, nec tamen revolutum. Alterum tria petala sunt exteriora, lanceolata, angustiora, utrinque fere aequaliter attenuata, nec hinc vere unguiculata, & in his nectarifera tubulosa ... occupat solum. Reliqua tria ex ungue canaliculato in lanceam ovatam explicantur, nectariique sulcum ad unguem ... gerunt insculptum. Filamenta rubent. Antherae ex atra purpurascunt. Stylus triangularis etiam rubet. In pluribus floribus pistilli duntaxat rudimentum aliquod exile adest; hinc in paucissimis fructus sequitur ovatus cum seminibus subcrescentibus. Crescit in pratis montosis, florens Junii sub finem & Julio.

TABULA DUCENTESIMA VIGESIMA SEPTIMA.

PRUNUS MAHALEB. *Linn. syst. pag.* 341. *Scop. carn.* 1. *p.* 343. *Crantz. fasc. p.* 95.
Cerasus foliis subrotundis, serratis, petiolis eglandulosis. *Hall. hist. helv. num.* 1084.
Cerasus sylvestris amara Mahaleb putata. *Bauh. hist.* 1. *part.* 1. *pag.* 227. *Duhamel. arb.* 1. *p.* 148.
Cerasus affinis. *Bauh. pin.* 451.
Mahaleb. *Clus. hist.* 64. *Cam. epit.* 91.
Macaleb Gesneri & Matthioli. *Lob. ic. ed.* 133.

Arbuscula tota glabra, habitu inconcinno, saepe humilis valde & ramosa, alias iterum humanam superans altitudinem, lignum habet album, quod exsiccatione ruborem contrahit aliquem odoremque fortiorem, tenuem & cortice obductum fusco. Folia sunt venosa, ex subrotundo ovata, modo ad basin cordata, modo minime, utrinque nitida, obtuse acuminata, aut simpliciter obtusa, saepe etiam cum emarginatione, crenulata, alterna, petiolata, facie saturate, dorso pallide virentia, recentia vix odorata, marcescentia magis, aut glandulis plane destituta, aut easdem gerentia tenues, in petioli antica laterali parte ad exortum ipsius paginae sessilem, pusillam & unicam. Racemi ex propriis gemmis orti, biunciales, subcorymbosi, & simplices, sustinent flores pedunculatos aliquot odoratissimos. Laciniae calycis sunt ovatae patentissimae petalisque triplo breviores. Haec alba sunt. Filamenta albent circiter octodecim. Stylus viret. Fructus ex ovali subrotundus, pisi majoris volumine nitidusque nigrescit. Pulpa haud multa & amara colore tingit purpureo. Nux, qualis in Ceraso est, includit nucleum amarescentem. Floret Aprili & Majo. Crescit in collibus saxosis.

TABULA DUCENTESIMA VIGESIMA OCTAVA.

DRABA PYRENAICA. *Linn. syst. p. 432. Jacq. vindob. p. 255. Scop. carn. 2. p. 7. Crantz. fasc. p. 13. t. 1. f. 5.*
Draba caulibus superne nudis, foliis palmatis, interioribus quinquefidis, superioribus trifidis. *Gerard. prov. pag. 344?*
Alyssum pyrenaicum, perenne, minimum, foliis trifidis. *Tourn. inst. p. 217. Allion. ped. p. 1. t. 6. f. 1.*

Radix teres, fusca, perennis, calamo tenuior, sapore acri raphani praedita, supinum fissuris profunde insinuatur, ibique etiam fasces saepe emittit pullulatque, & multiplices surculos ramosos congestosque generat, inferne foliis elapsorum annorum emarcidis dense vestitos, supra haec novis foliorum cespites formantes, ex quorum centro scapus exeritur aphyllus, teres, erectus, ad lentem hirsutus, ab unico ad octo flores pedunculatos sustinens, aut brevissimus, aut ad summum uncialis. Ad latus fructescentis scapus surculos ultra, geminatus saepe, producitur. Folia sunt parva, crassa, nitida, rigidula, plana, basi veluti attenuata in petiolum semiamplexantem, profunde omnia trifida, (nam inferius in nostratibus plantis invenire quinquefida nulla unquam hucusque potui) ad apices & ad oras ciliata; lobis oblongis & acutiusculis. Interdum ramuli elongantur, quando tunc folia sparsim alternantur. Flos ratione plantulae magnus. Calycina foliola obtusa concava erectaque virent cum fusculis saepe purpura. Petala sunt calyce dupla longiora, subrotunda, ampla, plana, patentissima, integerrima, fulvenosa, purpurea aut ex carneo caerulea, etiam magis cinerea, unguibus donata brevibus. Filamenta albent & purpurascunt. Antherae flavent. Stylus fere ipsum germen aequat longitudine. Silicula subovata, stylo instructa superstite, glabra & compressiuscula, utrinque semina duo habens, quorum unicum saepius pervenit ad maturitatem. Crescit in summis alpium jugis. Floret Majo & Junio.

TABULA DUCENTESIMA VIGESIMA NONA.

VICIA GERARDI. *Ger. prov. pag. 497. num. 5. tab. 19.*
Vicia militans. *Crantz. fasc. p. 388. t. 1. f. 2.*

Quam maxime haec planta differt ab Halleri Vicia num. 426, (quae Linnaei silvatica est, ante annum in Austriae locis subalpinis etiam detecta,) propriamque constituit & distinctissimam speciem. Ex radice perenni, tenui, tereti, praelonga, fusca & repente caules exeunt per intervalla plures, annui, erecti, sesquipedales, angulati, albidis mollibusque villis pubescentes, rarius glabriusculi, modo simplicissimi, modo ex pluribus paucioribusve foliorum alis ramosi. Stipulae villosae, anguste lanceolatae, acuminatae, integerrimae, semisagittatae saepius adsunt; ad folia tamen superiora deficiunt quandoque alterutra, interdum utraque. Folia eadem villositate ubique gaudent, pariterque ad angulum acutum, ut plurimum quidem in tota planta plane difficile conferuntque faciem vertentia, nonnunquam tamen minime id facient, praecipue in individuis ramosioribus. Sunt pinnata ex pinnulis utrinque communiter fere undecim sine impari, oblongis, integerrimis, obtusis cum exiguo mucrone, brevissime petiolatis, alternis vel oppositis. Costae forme fertiles striataeque cirrho terminantur. Pedunculi contrarii axillares ad eundem fere cum foliis angulum adscendunt, iisdem breviores, villosi, stricti, solitarii, striati, ante folia pauci, superne racemosi. Flores a tribus ad quatuordecim, penduli, inodori, breviter pedunculati. Calyx parvus, nitidus, glaber cum ora subhirsuta, & compressus, ex purpureo viret. Dentes tres inferiores sunt subsetacei, summi multo latiores. Vexillum ob-

obverse ovatum, emarginatum absque acumine, alis paulo longius, cum diluta purpura violaceum angulis insitit rubenti. Alarum albidarum summitas est vexillo concolor. Carina longitudinem alarum habet, aut alba tota, aut alis colore similis. Stigma per totum ambitum pubescit. Semina solitaria vel gemina, parumper elongato-subrotunda, & cum virore quodam nigrescentia continentur in legumine oblongo, utrinque acuminato & glabro. Crescit in sylvaticis. Floret Junio. Semina perficit Augusto. Tenuis pubes in tabula colorandæ apte reddi sculptura non potuit; talis enim pubes in tabula, dilutissimo atramento expressa, ægre apparet; dum idem saturatius coloratæ figuræ postea inducenda non admittit sine elegantiæ jactura.

TABULA DUCENTESIMA TRIGESIMA.

GLOBULARIA NUDICAULIS. *Linn. syst. pag.* 111. *Scop. carn.* 1. *p.* 93.
Globularia foliis oblongo ovatis, integerrimis; caule nudo, unifloro. *Hall. hist. helv. num.* 217.
Scabiosa bellidis folio, humilis, caule nudo, radice non repente. *Moris. hist.* 3. *p.* 50. *s.* 6. *t.* 15. *f.* 4.
Bellis cærulea, caule nudo. *Bauh. pin.* 262.

Radix fusca, teres, longa, perennis & multiceps inter rupes varie pergit, foliaque emittit radicalia plura, firma, crassula, nitida, facie saturate virentia dorsoque pallidius, glabra, obtusa, integerrima, vix venosa, ex superiore parte latiore paulatim & longe angustata in petiolum, a tribus ad sex uncias longa. Scapus ex uno capite ut plurimum unicus, nitidus, striatus, superne purpurascens, semipedalis, vel etiam pedalis, erectus, stipulis lanceolato-acuminatis paleisque duabus vel tribus, in florescente etiam planta, semper instructus, cæterum aphyllus, capitulum florum subrotundum sustentat. Flos unusquisque bractea fulcitur virente & lanceolate acuminata; neque alius adest calyx communis. Perianthium proprium semiquinquefidum & villosulum laciniis gaudet lanceolatis acutis; duabus superioribus paulo brevioribus. Corollulæ ex purpureo cærulescentis laciniæ sunt lineares & acutæ, tres superiores multo longiores duabus inferioribus. Antheræ cæruleæ pollinæ scatent albo. Crescit in alpium saxosis. Floret Julio.

TABULA DUCENTESIMA TRIGESIMA PRIMA.

CRATÆGUS CHAMÆMESPILUS. *Jacq. vindob. p.* 243.
Cratægus folio oblongo, serrato, utrinque virente. *Tourn. inst.* 633.
Mespilus Chamæmespilus. *Linn. syst. p.* 343. *Scop. carn.* 2. *p.* 345.
Mespilus foliis ovatis, serratis, glabris. *Hall. hist. helv. num.* 1090.
Sorbus Chamæmespilus. *Crantz. fasc. pag.* 83. *tab.* 1. *fig.* 3.
Chamæmespilus. *Bauh. hist.* 1. *p.* 72.
Cotoneaster forte Gesneri. *Clus. hist.* 62.
Cotoneaster folio oblongo serrato. *Bauh. pin.* 452.

Frutici habitus est neglectus. Radix ramis longis & vagis rupium anfractibus se accommodat, unde erui difficillime potest. Trunci ramique seniores teretes & nitidi fuscescunt; antea ex fusco purpurascentes; annotini foliosi & villosi virent. Folia sunt lanceolata vel ovalia, argute serrata, acuta, nitida, facie saturate virentia, dorso cum virore pallentia, alterna, petiolata, duas uncias plerumque superantia, in planta florente postea que semper a me inventa glaberrima. Pedunculi terminales & ex summis foliis axillares,

ramosi, teretes, villosi, crassuli, pallide virentes, foliisque breviores densius florum nec amplam constituunt cymam, inter folia crassiuscula veluti absconditam, ut horum aliquod in icone antrorsum praeter naturam deductum fuerit, quo illi prodeant in conspectum, beatis praediti vagis setaceis rubris atque caducis. Calyx campanulatus germini innascitur, foris ferme glaber, interne autem, & ad oras quam maxime, lanuginosus, quinquepartitus in lacinias lanceolato-acuminatas, concavas, erectas, crassulas, quandoque subrubentes. Petala sunt quina, obverse ovata, rubra, obtusa, erecta, versus basin attenuata minusque colorata, calyce duplo longiora, infra medium interne pilis omnium tenuissimis crispatisque lanuginosa, calycis limbo inserta, valde caduca. Filamenta fere octodecim, inaequalia, alba, subulata, erectiuscula, & longitudine corollae, superne connivent, gerentque antheras primum obscure virentes, demum fuscas, subrotundas, basi didymas, & incumbentes. Germen subrotundum foris & superne lanuginosum emittit stylos duos filiformes, pallidos, erectos, longitudine filamentis breviorum, cum stigmatibus simplicibus & obtusis. Cuilibet cymae pauci fructus succedunt, ab uno ut plurimum ad quinque, reliquis abortientibus. Sunt hi ex subrotundo ovati, nitidissimi, ex aurantio rubentes, coronati calyce emarcido, persistente pedunculis nunc glabris. Caro subacidula est, tenuis, & farinacea, coloris dilutioris aurantiaci. Abbaculae. Scilicet membranis ovata tenui lutea albida & subcordata in media carne locatur, semenque continens in quolibet loculamento includit inverse ovatum nitidum, hinc (aut unicum sit, quum alterutrum frequenter abortet,) compressum, inde convexum, ex cortice constans corneo badio pie & ex nucleo candido & saporis amygdalini; pyri semini simillimum, at minus compressum. Crescit in primo adscensu alpium rarius, in secundis jugis frequentius. Floret Majo & Junio. Fructus maturescunt Septembri.

TABULA DUCENTESIMA TRIGESIMA SECUNDA.

CONVALLARIA LATIFOLIA.

Polygonatum tertium latiore folio. *Clus. hist. 276.*

Polygonatum latifolium, ellebori albi foliis. *Bauh. pin. 303.*

Cum Convallariis Polygonato & multiflora, quibuscum mixtim crescit, radice & reliquo habitu convenit, ut facile confundatur, etiamsi egregium Clusium jam olim diversitas haud fugerit, ante annum ab sedulo Sigisberto Schivereck denuo animadversa, atque, ut puto, ex hac adumbratione nunc posita extra dubium erunt. Radix paulo tenuior est, praedita sapore dulci, postea subacri, & glutinoso. Caulis a semipede ad duos pedes altus, ut tabula plantam statura mediocris sistat, basi est teres, exterum per totam longitudinem satis angulatus, qui anguli magis notabiles oriuntur decurrunt infra medium folii dorsum, superne villosulus, simplex brevissime. Folia sunt ovata, in acumen angustata, sessilia, multinervia, foliis ad nervulos minutissime & nonnumquam ad lentem villosa, integerrima, utrinque nitida at facie imprimis, dorsi pallidiora quidem virentia sed nullatenus incana. Pedunculi hirsutuli in eadem planta unicum, geminos & ternos, in plantis maximis infimi etiam quaternos, ipsos quoque propriis pedicellis munitos, sustinent flores pendulos & suaveolentes. Corollae sunt, quam in Convallaria multiflora triplo ampliores, tubulosi, albi cum lineis obsoletis magis ex viridi flavescentibus; limbo virente, patulo, obtuso, nec infundibuliformi. Stamina inseruntur intra medietatem tubi. Stylus ultra limbi originem elevatur. Bacca est globosa, ex caeruleo nigra, & trilocularis, in quolibet loculamento continens semina primo virentia, tandem fuscescentia, tria vel quatuor, interdum in uno alterove etiam quinque. Floret Majo. Semina maturescunt Julio. Imaginem plantae non visae unusquisque sibi finget, qui proponet sibi Convallariam habitu pedunculisque Convallariae multiflorae, floribus Polygonati, foliisque Convallariae majalis.

TA-

TABULA DUCENTESIMA TRIGESIMA TERTIA.

POLYGALA CHAMÆBUXUS. *Linn. syst. pag.* 471. *Scop. carn.* 2. *p.* 49. *Crantz. fasc. p.* 439.

Polygaloides procumbens, foliis duris, ovatis, nervo aristato. *Hall. hist. helv. num.* 345.

Chamæbuxus flore colutex. *Bauh. pin.* 471.

Anonymos flore coluteæ. *Clus. hist.* 104.

Elegans plantula jam sub Martii finem florere incipit, semina Junio perficiens, tota glabra & sempervirens. Radices graciles, longæ, teretes, & multiplices per summam tellurem serpunt. Caules fere truncati, perennantes, teretes, cum ramis adscendentibus fuscule virentibus vel purpurascentibus. Folia inordinate alternantur, elliptica, crassa, buxea fere forma & duritie, mucrone exiguo atque innocuo terminata, integerrima, brevissime petiolata, facie plerumque atrovirentia, dorso dilutius, uti latitudine sic magnitudine valde variantia, sapore amaro, occupantia ramulorum magis superiorem partem. Pedunculi breves uniflori vel biflori in foliorum axillis solitarii locantur. Squamulæ bracteati brevibus inferioribus villosis, sunt sub quolibet flore ad originem pedicellorum propriorum tenuis concavis subrotundis purpurascentibus majoribus ac falso margine fimbriatis. Flores plerumque grate primum redolent. Calycis triphylli foliola cum levi quadam purpura sunt ochroleuca, subovata, obtusa; inde tota hoc concava sibi mutuo ad latera interna incumbunt; superius longius labiarium & connatum protuberat, melleoque succo scatet in fundo. Petala duo exteriora, quæ pro alis haberi patiunt, ex obverse ovata oblongaque lignea in unguem paullatim angustantur, calyce ferme triplo longiora, pallide ochroleuca, sæpe purpurea extus ad apicem leviter tincta, superata vertice vexilli adjoolar vello. Tertium petalum exhibet tubi speciem compressi subcylindracei, qui connatus dici posset ex vexillo carinaque concretis in unum corpus. Est autem hocce petalum antice per totam longitudinem fissum, & superne triplice divisum; cujus laciniæ laterales, quæ a carina formantur, sunt oblongæ, obliquæ [illegible], obtusissimæ, concavæ; intermedia vero, a vexillo ducens ortum, est compresso-cucullata, & in quatuor vel sena tubercula subdividitur, hinc subcirrhata. Totus hic tubus pedetentim colorem exteriorum habet, ad apicem vero luteus est, qui color in flore senescente in badium subrubrumque mutatur. Lineæ intrinsecus protuberantes, quæ indicare valeant locum concretionis carinæ cum vexillo, superne abeunt singulæ in quatuor gracilia filamenta, antheris ovalibus erectis luteisque donata, absconduntur omnia & tota in cucullo tubi modo descripto; ut geminæ hæ lineæ credi queant ipsa filamenta coalita in duo corpora, quæ ad vexilli carinæque concretionem quam maxime contribuunt. Germen orbiculare compressum & emarginatum stylum emittit ex basi semitare superiora versus sensim crassiorem magis magisque, erectum, ad cucullum, cujus accumbit dorso, semicirculo inter incurvatum. Supra ipsum germen curvatur etiam inclinatur, ut ad dorsum ilico corollæ pertingat. Stigmatis [illegible] flavi & bilabiati labium inferius longius propendet. Capsula subturbinata compressaque ante [illegible] decidua, & in quolibet loculamento semen continet ovatum nitidum nigrumque cum filo albo & longo. Dantur etiam individua, in quibus alæ & calyx eleganter ex rubro purpurascunt, quale ramulus additus monstrat. Quandoque rarius in montanis solo hæc varietas occurrit. In tabula exhibentur etiam hæc ut huc separatæ floris partes. Bractea, calyx, flos demptis alis, ala, petalum interius tubulosum ex scissura sua nativa ad latera diductum apertumque cum cucullo clauso, pistillum, stigma ad microscopium auctum, semen, & capsula.

TABULA DUCENTESIMA TRIGESIMA QUARTA.

CACALIA ALPINA. *Linn. syst. p. 536. sp. pl. n. 12. ꝫ. p. 1171.*
Cacalia. *Lob. ic. 592.*
Cacalia foliis cordatis, serratis, longissime petiolatis; floribus umbellatis. *Hall. hist. helv. num. 157. d.*
Cacalia glabro folio. *Clus. hist. CXV.*
Cacalia foliis cutaneis acutioribus & glabris. *Bauh. pin. 198. Moris. hist. 3. p. 94. s. 7. t. 12. f. 6.*
Tussilago Cacalia. *Scop. carn. 2. p. 156.*

Pauci nec grati saporis radix, fuscescens, unam alteramve unciam longa, digitum minimum crassa, plerumque praemorsa, fibris passim longis crassisque, perennis, aetate circularibus rugis exasperata, sensim etiam multiceps, & saepe ad latus veluti ex propagine novas radices serens, caulem gignit unicum, subrectum, basi saepe rubentem, striatum, semipedalem vel bipedalem, subangulatum, ad summitatem parum pubescentem, inque paniculam floriferam evolutum. Folia sunt ex reniformi subrotunda, obsolete repanda, acute & inaequaliter crenata, tenuia, subtus venis prominentibus reticulata, in caule alternantia & pauca, ad radicem unicum, aut, quum marcescendo perire hoc soleat, saepe nullum; petiolis donata teretibus, intima fere canaliculatis, nullis auriculatis. Folium caulinum summum est ovatum acuminatum petiolatumque. Ex summi axilla folii quandoque ramus exit; caeterum caulis est simplicissimus. Flores sunt subodorati. Calyx glaber, corolla triplo brevior & tubulosus, componitur ex squamis tribus vel quatuor, ad apicem ciliatis, oblongis, canaliculato-concavis, erectis, obtusis, conniventibus, virentibusque pallide cum suffusa saepe purpura, aut purpureis totis. Flosculi in plerisque terni vel bini, hermaphroditi & fertiles, dilute purpurei, longeque infundibuliformes, limbo quadrifido lacinias habent ex oblongo lanceolatas, acutas, integerrimas, glabras, & patentes. Filamenta quatuor, (nec unquam a me observata quinta) capillaria & alba sustinent antheram atropurpuream apiceque quadridentatam. Stigmata duo revoluta colorem corollae exhibent. Receptaculum nudum habet semina oblonga glabra & coronata pappo sessili pilosoque. Crescit ad montium pedes & torrentibus humidos, atque inde adscendit ad alpium primo jugum; floret Julio & Augusto, semina perficiens Augusto & Septembri. Ad marginem corollula addita vix aucta; tum folii variantis circumscriptio.

TABULA DUCENTESIMA TRIGESIMA QUINTA.

ÇACALIA TOMENTOSA.
Cacalia alpina. *Linn. spec. pl. n. 12. α. p. 1170.*
Cacalia foliis cordatis, serratis, longissime petiolatis; floribus umbellatis. *Hall. hist. helv. num. 157. a.*
Cacalia vulgaris incano folio. *Clus. hist. CXV.*
Cacalia foliis crassis hirsutis. *Bauh. pin. 198. Moris. hist. 3. p. 94. s. 7. t. 12. f. 1.*

Habet radicem priori similem, totumque adeo habitum. Caulis sesquipedalis vel tripedalis, striatus, subangulosus, annuus, erectus, medulla alba farctus, villosus, purpurascens cum mixto virore, ex superioris ala folii saepe ramo auctus, caeterum simplex, extremitate dividitur in paniculam densam florum suaveolentium. Folia radicalia, quae in florente deficere solent, & caulina inferiora sunt ex reniformi subrotunda, saepe amplissima, uti ex addita circumscripta delineatione folii non maximi videre est, subrepanda, acute & valde inaequaliter crenata, venis numerosis subtus extantibus reticulata, crassiula,

mol-

mollia, superne viridia subpilosa aut fere nuda, subtus incana & tomentosa; petiolis dorso angulato-striatis, modo canaliculatis, modo teretibus, semper majoribus minoribusve appendicibus subulatis ad exortum utrinque auriculatis. Summa folia sunt amplexicaulia, ex lanceolato oblonga, & acuminata. Calycis glabri, corolla duplo brevioris, & tres vel quatuor flores continentis, squamae sunt priori similes. Corollulae purpureae, tubulosae, cum limbo quadridentato recto & erecto aut parumper patulo. Filamenta quatuor cum antheris atropurpureis & quadridentatis. Pistillum semen & reliqua praecedentis. Crescit in montosis aridioribus & in subalpinis. Floret cum priore. Ad tabulae marginem semen sistitur genuino volumine; cum his etiamque unicum calycis foliolum petalumque. Etiamsi celeberrimi Botanici hanc tomentosam praecedentis glabrae varietatem crediderint, ac bene perpensis iisque centenis utriusque individuis exploratis ambas cen species distinctas proposui. Nam nec aetas, nec locus, nec cultura mutant apud nos discrimina, quae sequuntur. Prior alpina gerit folia utrimque glabra, magis carinata & firma, obtusiora, caeterisque partibus multo minora; squamam periclinii; petiolos teretissimos, ut nonnisi noter 6; & vel quae potius rudimentum appendicis, appendices. Corollam patentissimam, Calycem breviorem. Altera tomentosa tota est. Folia sunt subtus tomentosa & incana, magis tenuia, ampliora. Petioli sere perpetuo angulati, iisque saepe notabilibus, instructi. Corollulae connivantes aut valde parum patentes. Calyx longior. Surculescentia major.

TABULA DUCENTESIMA TRIGESIMA SEXTA.

THLASPI SAXATILE. *Linn. syst. pag.* 434. *Crantz. fasc. p.* 24.

Thlaspi parvum saxatile, flore rubente. *Bauh. pin.* 107. *Moris. hist.* 2. *p.* 297. *t.* 3. *t.* 18. *f.* 19.

Thlaspi montanum, pingui folio, carneo flore, plana & cordata siliqua Gualdi. *Barr. ic.* 845.

Thlaspi siliquis ellipticis, foliis lanceolatis, laevibus integerrimis. *Nov. comm. acad. Petrop. vol.* 5. *p.* 350.

Nasturtium foliis pulposis, ellipticis; siliculis alatis, emarginatis. *Hall. hist. helv. num.* 512.

Lithanthlaspi quartum, carnoso rotundo folio. *Col. ecphr.* 1. *p.* 279. *t.* 277. *f.* 2.

Ex radice perenni, ramosa, terete, superne horizontali & multicipite caules exsurgunt plures, annui, glabri, semipedales, erecti vel adscendentes, teretes, inferne purpurascentes, caeterum glauci, densius foliosi, in racemos fructigeros sensim producti. Folia sunt sparsa, subsessilia, oblonga vel lanceolata, infima etiam obverse ovata, obtusa vel acuta, integerrima, glauca, carnosa. Calycis subcompressi, parvi, & ex viridi flavescentis foliola duo ad basin magis gibba sunt. Petala alba lineis roseis pinguntur, marcescentia plane rubescunt. Antherae luteae ad utrumque latus filamento adnascuntur, ut hoc cubitent. Flores insident pedunculis brevibus propriis corymbose pedunculo communi insignituri. Siliculae formae plerumque superne convexae & subtus concavae, reliquae ex adverso superne concavae & dorso convexae, margine membranaceo amplo & emarginato donantur. In quolibet loculamento semina habentur gemina, oblonga, parva & flavescentia. Crescit in rupestribus montium, Floret Maio & Junio, Julioque & Augusto fructum ferens. Plantam tabula exhibet fruticescentem cum adstante racemo florente. Culta latius expanditur in caules pedales & multos.

TABULA DUCENTESIMA TRIGESIMA SEPTIMA.

THLASPI MONTANUM. *Linn. syst. p. 434. Scop. carn. 2. p. 18. Crantz. fasc. p. 25.*
Thlaspi Badense. *Clus. hist. CXXXI.*
Thlaspi montanum, bursae pastoris fructu. *Col. ecphr. 1. p. 275. f. 276.*
Thlaspi alpinum bellidis caeruleae folio. *Bauh. pin. 106.*
Lepidium caule erecto; foliis radicalibus petiolaris, ovatis; caulinis amplexicaulibus, sagittatis. *Hal. hist. helv. num. 518.*

Acris plantula radicem habet perennantem, in longas teretes pallideque fuscescentes fibras divisam, ac superne per aetatem multicipitem sublignosam & subcinerascentem. Tota glabra est. Caules herbacei, teretes, plus minus sesquipedales & erecti folia ad caulium genera plura, in orbem humi strata, plana, facie supera & quasi caerulea virore nitentia, in postica parte ut plurimum leviter purpurea, ex obverse ovata aut lanceolata figura productae in petiolum attenuata, integerrima aut denticulo uno alterove notata, obtusissima, raro emarginata, crassa & tenera. Quae vero ad caulem alternatim ferme sita sunt in locantur, sunt minora, erecta, ex oblongo lanceolata, per cordatam basin subamplexicaulia. Corymbi densi successive protrahuntur in longiores racemos. Calyx aut viret, aut purpurascit, aut flavet; foliolis oblongis, obtusis ac concavis. Petala nivea calyce duplo longiora, aequalia, obverse ovata, integra planaque ex ungue procedunt. Antherae flavent. Germen ovale est, tetraedrum & quadriloculare. Stylus germen longitudine aequat. Silicula obverse cordata, subtus convexa, supra magis minusve concava, glabra, stylo persistente mucronata. Semina sunt pauca, fere gemina in quolibet loculamento. Crescit in montosis. Incipit florere sub finem Martii aut Aprili. Semina Junio perficit.

TABULA DUCENTESIMA TRIGESIMA OCTAVA.

THLASPI ALPINUM. *Crantz. fasc. p. 23. t. 3. f. 2.*
Thlaspi alpestre. *Jacq. vindob. p. 260. non Linnaei.*
Thlaspi minimum. *Hacquet. obs. 2. p. 33. t. 15. f. 2.*
Thlaspi alpinum repens Bursera ex Austria. *Bauh. prodr. 49.*

Culta plantula apud me habitum non mutavit, nec propius accessit ad Thlaspi montanum quam sylvestris alpina ipsa, quare separo, alienum valde externum stirpem. A Thlaspi perfoliato differt magnitudine petalorum & radice perenni. Haec tenuis ramosa ac saepe multiceps rosulas foliorum plures producit, pluresque tunc caules, qui infra rosulas procumbunt, atque interdum repere videntur, uti in figura Crantziana; supra rosulas annui, herbacei, teretes, simplicissimi, pallide virentes, & a duabus ad sex uncias alti, eriguntur. Folia sunt crassa glabra & glauca: radicalia exteriora obverse ovata, vel lanceolata, interdum etiam orbiculata, in petiolum attenuata, plerumque integerrima, rarissime denticulo obscure notata, & obtusa; interiora vero proxima ovata & sessilia. Caulina cordata, aut paulo magis ovata, semper integerrima, subacuta, amplexicaulia, erecta, alternatim sparsa. Flores corymbosi. Calycis erecti oblongique foliola cum virore flavent. Petala nivea, obverse ovata, ampla, calyce duplo longiora patentissimaque. Filamenta calycem parumper superant. Antherae flavent. Styli persistunt. Fructus praecedentis. Crescit in alpibus. Floret Julio. Semina maturescunt initio Augusti.

TABULA DUCENTESIMA TRIGESIMA NONA.

HYDNUM GELATINOSUM. *Scop. carn. 2. p. 472.*
Echinus crystallinus, gelatinosus. *Hall. hist. helv. num. 2319.*
Fungus non vescus nonus. *Lob. prus. pag. 96.*
Fungus erinaceus candidus, substantia gelatinea. *Hoffm. fun. obs.*

Mense Augusto in silvis udis umbrosisque subalpinis inveni ramum putridum spinus piceæ, totum obductum hisce fungulis, cujus partem sisto. Constant substantia gelatinosa, tremula, subpellucida, lactescente, aliquot lineas crassa, instar gelatinæ cornu cervini solidioris, quæ discissa aquei coloris est. Carent sapore ac odore. Stipes crassus, teres aut parum compressus, interdum brevissimus ac vix ullus, pileum fere dimidiatum, sæpius horizontalem, quandoque difformem, supra convexulum & glaberrimum, ad oras minutissime denticulatum, subtus planiusculum & ad oculum nudum villoso-punctatum, ad armatum vero totidem denticulis minimis pyramidatis mollibusque armatum; ut cum Hydnis Tremellas jungere videatur.

TABULA DUCENTESIMA QUADRAGESIMA.

ONONIS MINUTISSIMA. *Lin. syst. p. 78. Crantz. stirp. pag. 370.*
Ononis lutea silvestris minima. *C. B. eyst. 1. p. 304. t. 301.*
Anonis foliis ternatis, ovatis, serratis, subhirsutis; floribus sessilibus; calycibus hiantibus. *Hall. hist. helv. num. 355.*
Anonis lutea montana non spinosa minima. *Barr. ic. 1107.*
Anonis spinosa lutea minor. *Bauh. pin. 389.*

Lignosa radix, perennis, ramosa, caliami crassitie & multiceps plures caules promit subcrectos, plus minus semipedales, teretes, villosos, sub herbaceos, superne floriferos, plerumque simplicissimos. Folia sunt petiolata, alterna, tota villosa & ciliata pilis plerisque apice capitato-glandulosis, ternata, summa modo plura modo pauciora simplicia: foliolis obverse ovatis, argute serrulatis, oblique subsessilis, crassulis parumque viridis. Stipulæ sunt lanceolatæ, acuminatæ, folium æquantes, & glandulosæ ciliatæ. Flores sessiles & solitarii. Calyx hirsutus profunde secatur in quinque lacinias lanceolatas, setose acuminatas atque conniventes. Junio atque Julio inveni inclusam calyci corollam clandestinam ac minutam, ut ad lentem examinari debeat. Illo scilicet duplo brevior, ex flavescenti pallet tota, & connivet. Corolla talis, avulso calyce, ad lentem visa, in tabulæ margine exhibetur; ipsaque stupe in dio liberata sum jam protractiore depicta fuit. Tunc vexillum, brevi ungue donatum, atque hinc expansum in laminam amplam ex ovato subrotundam foris oblique striatam atque mucronem angustum terminatam, connivendo alis incumbit. Alæ oblongæ, obtusæ, concavæ, & ungue brevi præditæ erriguntur. Carina compressa, obtusissima, oblonga & erecta germen amplectitur, alas superans, vexillo brevior ipsa. Filamentorum cylindrus, a germine hirsuto & virenti cortice sissus antheras gerit flavas. Legumen sequitur oblongum cum mucrone a stylo superstite, calyce nunc patente paulo longius, nigrum, subpilosum, continens semina tria vel duo ex fusco flaventia. Sub finem vero Augusti alia locus est corollarum ratio, uti ex ramo ad marginem addito elucet. Corollæ luteæ nunc longitudinem saltem calycis habent. Vexillum obverse latoque ovatum atque medio strias notatum fuscis est patentissimum. Alæ oblongæ vexillo breviores, & longitudine pallidioris atque acuminis falcatæ carinæ, eriguntur. Fructus idem. Itaque culta planta hunc florendi duplicem modum servat. Crescit ad montium apricos pedes. Legumen cum semine seorsim quoque tabula monstrat.

TA-

TABULA DUCENTESIMA QUADRAGESIMA PRIMA.

ATRAGENE ALPINA. *Linn. syst. p. 376.*
Atragene austriaca. *Jacq. vindob. p. 248. Scop. carn. 1. p. 387.*
Atragene clematides. *Crantz. fasc. p. 127. t. 5.*
Atragene foliis ternatis; foliolis trifoliis, acutis. *Hall. hist. helv. num. 1145. & vol. 3. pag. 188.*
Clematis cruciata alpina. *Ill. apud Clus. hist. p. CCCXXXI.*
Clematis alpina geranifolia. *Bauh. pin. 300. prodr. 135. Pluk. alm. 109. t. 84. f. 7. Moris. hist. 3. s. 15. t. 2. f. ult.*
Clematis caerulea serrato folio. *Bauh. hist. 2. p. 129.*
Clematis foliis compositis & decompositis; foliolis ternatis serratis. *Hall. all. 1. 284.*

In rupibus ad alpium praecipitia, in subalpinorum saxetis ad frutices, inque ipsis ligneis tectis arcis Saxenstein crescentem vidi, semper habitu Vitalbae eodem, nec unquam ex demissis in terram sarmentis radicem agentem, quod quidem culta in horto ex sarmento terrae de industria immerso facit. Caules ex eadem radice plures, ramosi divisi, longi, angulati, glabri, fusci, ad trium quatuorve aut etiam sex unciarum distantias subtorti & nodosi; juniores assurgentes herbacei, hirsutuli & ex fusco viridique purpurascentes; aut super saxa prostrati, aut ad vicina scandentes. Folia sunt opposita & subbiternata: petiolis hirsutis & sesquipollicaribus; foliolis lanceolatis, acutis, glabris, inaequalibus, fertilibus, obtuse serrato-incisis, dorso lucidis & cum virore pallentibus, facie saturatius & sine nitore virentibus; ternatis lateralibus ad basin nonnunquam coalescentibus. Horum per tactos ramos primo proferuntur petioli, foliolis ipsis marcescentibus pereuntibusque, persistunt, incrassantur, & in cirrhos commutantur validos extremitate tortiles: e quorum axillis gemmae oriuntur, vel fructu ramiferae, vel folia producturae alia duo, quae e sinu suo pedunculum emittunt solitarium uniflorum praelongum teretem hirsutulum petioloque longiorem. Minus frequenter gemmae oppositae una florent, aut perficiuntur. Stipulae obtusae & villosulae ad gemmam adsunt quatuor, quarum longiores oppositae duae ad pedunculum ponuntur, reliquarum quaelibet uni petiolo subiacet. Flos inodorus & elegans nutat. Foliola calycis sunt quatuor, longe lanceolata, acuminata, patula, petalis plus quam duplo longiora, utrinque caerulea, plana, extus ad lentem villosa. Petala erecta, spathulata, integra, sordide albentia, plana, plerumque duodena. Filamenta albida, plana, lata, extus pilosa, longitudine petalorum, extremitati interne adnatam gerunt antheram sulphuream & bilocularem. Germina virent. Styli longis adscendentibus pilis hirsuti, albi & longitudine staminum eriguntur. Semina subtriangularia, villosa & compressa desinunt in caudam filiformem fuscam pilis holosericeis albisque villosam, & saepe pollent servilia. Floret Junio. Semina maturescunt Augusto. Ad latus adstant fructus integer, petalum & stamen.

TABULA DUCENTESIMA QUADRAGESIMA SECUNDA.

VIOLA ALPINA. *Jacq. enum. vindob. pag. 291. Obs. part. 2. p. 21. t. 11.*
Viola montana secunda. *Clus. hist. 309.*

Ex radice perenni, tereti, unam alteramve unciam longa, a relictis foliorum vestigiis, dum continuo prolongatur, (nam est ipse verius caulis in radicem mutatus,) per totam longitudinem inaequali, sordide pallenti, rarius multicipite, fibrillisque capillis onusta, plura prodeunt folia radicalia, petiolis longis lanivis, crassulis, nitidis, leviter crenata, cordato-ovata, obtusa, dorso glabra, facie ad lentem pilosa, parva. Scapus unus, rarius plu-

plures, foliis altior, erectus, glaber, varias levissime pubescens, teres cum longitudinali inscripto sulco, superne minimis duabus bracteis praeditus, hinc incurvatus florem sustinet ratione plantulae maximum, & foliaceum. Calyx ex violaceo viret. Corollae saturatissime violaceae petala tria sua inferiora ad faucem albida sunt & barbata, atque hinc lineis quibusdam profundioribus notata. Calcar ultra basin calycis valde parum protuberat. Stigma est capitatum & magnum. Fructus ovatus, obtusus & trivalvis more congenerum se habet. Crescit in summis alpium jugis. Floret Julio & Augusto. Semen perficit Augusto & Septembri. Foliis obtusis & crenatis, florumque magnitudine differt a Viola alpina minima apud Allionium pedem. spec. 1. p. 7. descripta.

TABULA DUCENTESIMA QUADRAGESIMA TERTIA.

SWERTIA PERENNIS. *Linn. syst. pag.* 299.

Gentiana foliis radicalibus petiolatis, ovatis; floribus paniculatis, rotatis, spicatis. *Hall. hist. helv. num.* 636.

Gentiana duodecima punctata. *Clus. hist.* 316.

Gentiana palustris latifolia, flore punctato. *Bauh. pin.* 188.

Gentiana caerulea punctata annua Pennaei. *Barr. ic.* 91.

Gentiana major flore caeruleo punctato. *Moris. hist.* 3. *p.* 482. *s.* 12. *t.* 5. *f.* 22.

Gentianae species rara e Bokkensteio monte. *Gesn. apud Schmid. num.* 94.

Radix amarissima, brevis, obliqua, nigrescens, fibris flavescentibus numerosissimis dense jubata, stolones sub terra spargit, novas plantas producturos, perennis. Folia radicalia & caulina inferiora alternatim sunt obverse ovata, obtusa, inque petiolum sensim attenuata, superiora autem sessilia opposita & acuta; omnia integerrima & nervosa. Caulis unus alterve herbaceus angulatus, calamum crassus, pedemque plus minus altus erigitur. Superne est magis minusve paniculatus, ut depicta planta medium tenet, ac ramis & pedunculis alaribus, flore etiam quolibet terminante. Perianthii pentaphylli foliola sunt anguste lanceolata, acuta, patentissima, virentia, & corolla duplo breviora. Petalum planissimum ac patentissimum ex brevissima basi in quinque lacinias lanceolatas expanditur, acutas, planas, in medio cum virore pallentes, versus oras caerulescentes, & totas lineis longitudinalibus punctisque sparsis caeruleis variegatas. Qualibet lacinia supra originem gerit squamulam tubulosam, sessilem, atrocaeruleam, inque setas plures erectas vel conniventes excisam. Filamenta quinque patentissima inferuntur corollae infra incisuras, antheris instructa oblongis ex atro caerulescentibus cum polline ex luteo virente. Germen ovatum staminibusque brevius viret, & in stigmata sine intermedio stylo patescit bina crassa & flavescentia. Floribus quibusdam una quinta pars divisionum deest. Capsula fuscescit, ovata, acuta, parumper compressa, unilocularis & bivalvis. Semina sunt plura, compressa, ex badio nigrescentia, & margine cincta membranaceo inaequali. Tota planta glabra est. Crescit in locis montosis. Floret Julio. Semina dat Augusto. Ad marginem adstant capsula, semina; petali lacinia aucta, ejusdemque aucta multo magis pars inferior, ut squamae in conspectum melius cadant.

TABULA DUCENTESIMA QUADRAGESIMA QUARTA.

ANTIRRHINUM GENISTIFOLIUM. *Linn. syst. pag.* 411? *Crantz. fasc. p.* 307.

Linaria pannonica. *Clus. hist. p.* 321.

Linaria genistae folio glauco, flore luteo. *Dill. elth. p.* 201. *t.* 164. *f.* 200?

Linaria flore pallido, rictu aureo. *Bauh. pin.* 213.

Elegans planta, tota glauca et glabra. Radix albicans, perennis, saepe unciam crassa pedemque longa, interdum tortuosa, cortice carnoso & medulla lignea. caules unumquem promit plures, herbaceos, erectos, teretes, per totam longitudinem foliosos, a duobus ad quatuor pedes altos. Superne ex ramis virgatos paniculatos, infra simplicissimos, ut in tabula pars caulis infima pedalis desideretur; qua forte nota a planta Dalmatica discriminatur, ut novam constituat speciem. Folia sparsa sine ordine, sessilia, lanceolata, acuta, crassa, venis ferme carentia, omnino numerosa, integerrima. Rami absque in racemos magis minusve flexuosos, dum et foliorum superiorum valde diminutorum axillis singulis pedunculi exeunt solitarii breves uniflori & subrecti. Calycis pallide virentis laciniae sunt lanceolato-acuminatae & petalo duplo breviores. Corolla tota flava, e crassa calcar habet longum & subulatum. Labium superius, infra lacinias ad fauces concavum, respondet Palatum gibbum sive palato valde prominenti, lateribus luteo hirsutoque, labii inferioris; cujus lacinia intermedia lateralibus minor multo est. Capsula est globosa. Crescit in arenosis siccis, florens Julio & Augusto.

TABULA DUCENTESIMA QUADRAGESIMA QUINTA.

GLOBULARIA CORDIFOLIA. *Linn. syst. p.* 118. *Scop. carn.* 2. *p.* 92.

Globularia caule unifolio & unifloro; foliis emarginatis, nervo aristato. *Hall. helv. hist. num.* 216.

Scabiosa decima sive repens. *Clus. hist.* V.

Scabiosa bellidis folio humilis, caule nudo, radice repente, folio cordato. *Moris. hist.* 3. *p.* 50. *s.* 6. *t.* 15. *f. ult.*

Bellis caerulea montana frutescens. *Bauh. pin.* 262.

Ex eadem radice nigra caudiculi per summum tellurem spargentur plures, lignosi, perennes, fusci, per libras emissas radiculas; quorum capita terminantur foliis aggregatis, spathulatis, firmis, versus originem in petiolum attenuatis, utrinque laevibus, integris aut obscure denticulatis, ad apicem emarginatis cum denticulo intermedio persisto, quandoque denticulo aut folio aut una cum ipsis emarginatione. In ramis junioribus etiam folia adsunt nonnunquam sparsa. Ex centro foliorum pedunculus sive scapus exoritur erectus, a duobus ad quinque uncias longus, purpureus, triangulatus, saepe intortus, nudus, stipula una alterave foliacea vestitus, etiam plane nudus, capitulo florum terminatus subrotundo. Perianthium commune proprie nullum habetur; ejus squamae ovatae acuminatae concavae & ex nigro virentes, quae capitulo subjacent, praecise totidem respondent flosculis, & sic pergitur ad interiora, ut sic quinque circiter capituli flosculus gaudeat suis. Receptaculum alias paleas, quam illas squamas, non habet. Perianthium proprium inferum, hirsutum & profunde quinquefidum: laciniis lanceolato-acuminatis & erectis. Petali tubus gracilis & calycis longitudine pallet. Laciniae sunt caerulescentes, lineares, acutae, & tres superiores longiores duabus inferioribus. Filamenta quatuor pallent, corollamque ferme aequant. Antherae sunt caeruleae cum pollinis albo. Germen oblongum & glabrum abit in stylum staminibus breviorem ac superne caerulescentem. Crescit in saxosis asperis locis, ad alpina adscendens. Flores pro varia soli elevatione ab Aprili ad Julium.

TABULA DUCENTESIMA QUADRAGESIMA SEXTA.

TUSSILAGO ALPINA. *Linn. syst. p.* 550. *spec. pl. p.* 1213. *num.* 4. *α.*

Tuss.

Tussilago sylvestris. *Scop. carn.* 2. *p.* 157.
Tussilago alpina secunda glabro folio. *Clus. hist. p.* CXIII.
Tussilago alpina rotundifolia glabra. *Bauh. pin.* 1214.
Petasites scapo unifloro; foliis reniformibus. (Planta adulta.) *Hall. hist. helv. num.* 142.

Habitus omnino crescendique modus congruunt cum sequente, ut sola discrimina adlaturus sim. Folia sunt supra glabra, nec lucida; subtus virentia & villosa, nec tomentosa aut incana. Atque hanc solam evidere diversitatem pro specie distinguenda determinandaque, autumo. Reliqua momenta vacillant omnia. Corollas constanter quinquefidas inveni in utraque planta austriaca. Scapus in alpina hac semper multo altior, dum simul in eodem loco, quod saepe accidit, crescunt; caeterum patet sequentis, in demissiori loco vegetantis, scapos esse altiori quam in hac, dum summas alpes incolit. Tum eadem ratione in Tussilagine alpina flos major est, ampliora quoque folia sunt. Scapus stipulis vestitur semper ad minimum duabus, quandoque tribus. Nec mutantur colore in horto. Certe folia, quae jam multa prodeuntia subtus incana sunt, ad senectutem usque perstant, nec vel minimum deponunt tomentum; glabra & virentia, quae erant in adulta, glabra jam fuerunt in exortu. Caetera ac flores cum sequente.

TABULA DUCENTESIMA QUADRAGESIMA SEPTIMA.

TUSSILAGO DISCOLOR.
Tussilago alpina. *Linn. syst. p.* 550. *Spec. pl. p.* 1214. *mon.* 4. *β. Scop. carn.* 2. *p.* 156.
Tussilago alpina prima canescente folio. *Clus. hist. p.* CXII.
Petasites scapo unifloro; foliis reniformibus. (Planta junior.) *Hall. hist. helv. num.* 142.

Radix perennis, stolonifera, & hinc caespitose plurimas producens plantulas, sub terra repens. Folia sunt radicalia, subrotunda, basi cordata, acute crenulata, crassa, firma; prona parte laete virentia, lucida, glaberrima, venisque pertenuibus reticulata; supina vero parte densissimo brevissimoque tomento incana, & venis nervisque protuberantibus. Petioli sunt longi teretes & subvillosi. Scapus solitarius, teres, purpureus, lanugine vestitus albicante, erectus, & a quatuor ad octo uncias altus, stipula calycea & incana ornatur unica vel raris iisdem geminis. Flos scapum terminat solitarius erectus & inodorus. Squamae calycinae acutae, circiter quatuordecim, purpurascentes. Flosculi feminei apetali & steriles in ambitu locantur; reliqui hermaphroditi tubulosi atque etiam fertiles limbum purpureum habent divisum in lacinias quinque oblongas & acutas. Antherae purpurascunt. In receptaculo nudo plano & punctato semina sunt striata cum pappo piloso & sessili. Crescit in subalpinis & in summis alpium jugis. Floret Junio & Julio.

TABULA DUCENTESIMA QUADRAGESIMA OCTAVA.

DIPSACUS PILOSUS. *Linn. syst. p.* 111.
Dipsacus foliis petiolatis, capitulis non spinosis. *Hall. hist. helv. num.* 199.
Dipsacus sylvestris, capitulo minore, sive Virga pastoris minor. *Bauh. pin.* 385.
Dipsacus tertius. *Dod. pempt.* 5. *l.* 5. *c.* 16.
Virga pastoris. *Cam. epit.* 433.

Planta biennis ex radice fuscescente aut magis pallente, tres quatuorve uncias longa, calamum crassa, fibrisque aucta, primo anno folia mere radicalia, altero caulem gi-

git sesquipedalem aut duplo altiorem, erectum, ad angulos spinulis brevibus albidisque asperum, ramosum, cavum, & superne subdichotomum. Folia sunt ovata vel lanceolata, acuminata, opposita, utrinque subpilosa, serrata, ad nervum medium dorsalem protuberantem spinulosa, superiora auricula utrinque ad basin appendiculata. Flores in capitulum collecti hemisphaericum terminant pedunculos erectos caulisque similes. Squamae, quae flosculos distinguunt, sunt lanceolato-acuminatae, setis hispidae, longitudine circiter flosculorum, unicuique flosculo subjecta unica. Perianthium proprium est margo pallide virens, patens & ciliatum. Corollulae albae, aequales, longe infundibuliformes, cum tubo tenui & brevi limbique laciniis omnibus obtusissimis. Antherae atropurpureae. Germen hirsutum & angulatum. Semina coronantur calyce nunc tetragono. Crescit in sylvaticis. Floret Julio & Augusto. Semina maturescunt Septembri.

TABULA DUCENTESIMA QUADRAGESIMA NONA.

CARDUUS ACANTHOIDES. *Linn. syst. pag.* 529.
Carduus polyacanthos. *Schreb. lips. pag.* 15.
Carduus foliis ovatis & semipinnatis, subtus tomentosis, spinosis; calycibus molliter spinosis, erectis. *Hall. hist. helv. num.* 165.
Carduus caule crispo. *Bauh. hist.* 3. *part.* 1. *pag.* 59.
Carduus spinosissimus angustifolius vulgaris. *Bauh. pin.* 385. *Loes. pruss. p.* 43. *f.* 5.
Carduus spinosissimus vulgaris, Polyacantha Theophrasti. *Lob. ic. alt.* 21.

Sylvestris planta primo anno ex radice tenui sola aliquot folia radicalia emittit, minus profunde rotundiusque incisa, quam caulina, caeterum similia; altero anno caulem valde ramosum diffusumque; & subsequa hyeme perit. Radix nunc digitum aut calamum crassa est, longa, & sublignosa. Folia sunt pinnatifide incisa, subtus magis minusve tomentosa, nec tamen incana, cum tomento saepe etiam vix notabili; laciniis angulosis, undulatis sive crispis, & pungentibus spinis armatis; per totum caulem decurrentia, qui sic quoque evadit spinosus & pungens. Ramulos terminant flores subsolitarii, erecti, modo sessiles, modo pedunculo tomentoso insidentes, odorati. Calycis squamae sunt acutae, subulatae, mucronatae, molles nec pungentes, patuli. Flosculi quinquefidi purpurascunt. Antherae ex atro caerulescunt. Semina fusca coronantur pappo simplice & sessili. Crescit passim ad vias, inque ruderatis, floretque a Julio ad usque hyemem.

TABULA DUCENTESIMA QUINQUAGESIMA.

LACTUCA SALIGNA. *Linn. syst. pag.* 510. *Scop. carn.* 2. *p.* 102.
Lactuca foliis imis semipinnatis, superioribus amplexicaulibus, hamatis, nervis spinosis. *Hall. hist. helv. num.* 13.
Lactuca sylvestris altera angusto saligno folio, costa albicante. *Hall. ad Rupp. jen. p.* 207. *ich.* 4.
Chondrilla viscosa humilis. *Bauh. pin.* 103. *prodr.* 68.
Endivia minor lactucina spinosa. *Barr. ic.* 136.

Radix biennis, teres, albida, superne ad horizontem inclinata, calamum crassa, saepe vel pedem longa, cauleque aucta, caulem altero anno producit erectum, teretem, glabrum, nitidum, ex ligneo pallentem, totum foliosum, bipedalem, & vel ab ipsa ramosum radice, unde planta saepe multicaulis videtur. Rami plerique patent; infimi adscendunt. Folia sunt alterna, sessilia, sublinearia, hastata, glabra; inferiora aliqua pariter

cer & aegre pinnatifida; reliqua integerrima, quaedam semipedalia, summa parva & erecta, atque ramulis minuta & stipulacea; rarissime aliqua verticalia, dum pleraque valde patent aut flaccide dependent. Nervus foliorum medius utrinque albet; aut aculeis recurvis albidisque subtus munitus pluribus, aut raris iisdem, aut in tota planta nullis. Flores ramulos graciles & flexuosos terminant, per eosdem quoque sparsi. Calycis ex glauco virentis foliola erecta, oblonga, obtusa & concava longitudinem habent varium. Corollulae circiter tredecim, calycem ad unam tertiam partem superantes, aequales, ligulatae, quinquedentatulae, & patentissimae, subtus ex fusco virent, in prona parte fordide & pallide flavent. Antherae stylique colore gaudent luteo. Germen glabrum coronatur pappo brevissime stipitato pilosoque; stipes vero paulatim elongatur in fructu ad calycis usque longitudinem. Semina oblonga & utrinque acuminata nigrescunt. Tota planta lactescit. Crescit in locis saxosis. Floret Augusto, sub cujus finem & Septembri semina perficit.

TABULA DUCENTESIMA QUINQUAGESIMA PRIMA.

ASTRAGALUS CICER. *Linn. syst. p. 498. Crantz. fasc. p. 413.*
Astragalus caule ramoso, diffuso; spicis erectis; siliquis inflatis, rotundis, unguiculatis. *Hall. hist. helv. num. 409.*
Cicer sylvestre. *Cam. epit. 505.*
Cicer sylvestre, *foliis oblongis hispidis*, majus. *Bauh. pin. 347.*
Glaux. *Riv. irr. tetr. tab. 108.*

Radix teres, digitum crassa, repens, difformiter & valde ramosa, foris foedens, intus alba, perennis, & sapore perdite dulci, caules herbaceos diffusos longos virentes striatos subangulatos humique prostratos spargit. Folia sunt pinnata ex foliolis utrinque ab undecim ad quindecim cum impari terminante, oblongis, obtusis cum pusillo mucrone reflexo & aegre conspicuo, integerrimis, utrinque virentibus in dorso pallidius, brevissimo petiolulis. Stipulae ad foliorum exortum parvae, acutae, & patentissimae aut reflexae. Pedunculi foliorum plus minus longitudine, axillares, striati, superne in spicam florum terminantur oblongam. Folia utrinque, caules & pedunculi pilis brevibus vestiuntur, qui in viva planta vix apparent, saepe etiam absunt, in sicca magis prodeunt. Floribus sessilibus & inodoris calyx est virens cum exiguis & lenteis pilis nigrescentibus, in quinque divisus limbo denticulos graciles, quorum superiores sunt gradatim breviores. Corollae ochroleucae vexillum habet laminam ovatam & unguem canaliculatum. Alae sunt oblongae & angustae. Carina oblonga obtusaque. Filamenta pallida gerunt antheras flavas. Legumen est rotundum, tumidum, mucronatum, utrinque compressum & longitudinaliter sulcatum, nigrescens, hirsutum. Semina plura, compressa, reniformia, glabra, subflavescentia. Crescit in pratis. Floret Julio. Augusto perficit semina.

TABULA DUCENTESIMA QUINQUAGESIMA SECUNDA

CISTUS FUMANA. *Linn. syst. p. 367. Scop. carn. 2, p. 375. Crantz. fasc. p. 102.*
Cistus foliis duris, confertis, linearibus; pediolis unifloris; calycibus glabris. *Hall. hist. helv. num. 1032.*
Chamaecistus erica folio luteus humilior. *Bauh. pin. 466.*
Helianthemum tenuifolium glabrum luteo flore. *Bauh. hist. 2. p. 18.*

■ Cha-

Caules fruticulosi plures, lignosi, fusci, & modo toti procumbentes, modo partim suberecti, ex eadem radice praedura ramosa & nigrescente gignuntur. Ramuli juniores herbacei teretes viridesque foliis decorantur sparsis, linearibus, acutis, crassis, integerrimis, sessilibus, numerosis, plus minus semiunciálibus, saepe, dum rami decumbunt, in latus superius conjectis, saporis glutinosi. Cum hae, tum ramuli juniores, ad lentem villis albidis obsita conspiciuntur. Pedunculi uniflori & solitarii in flore subterminales & erecti, in fructu axillares & terram versus reflexi. Flos inodorus. Calycis foliola duo linearia virent; tria reliqua membranacea ovataque ad nervos protuberantes brevissime hispida sunt, & rubent. Petala quinque ampla & flava calycem vix superant longitudine. Stamina fertilia plerumque antheras gerunt; exteriora numero incerto aliqua, & haec ut plurimum breviora, antheris plane carent. Flos mane expanditur, & ante decimam matutinam delapsis petalis jam calyx invenitur clausus. Capsula nitida subrotunda & trivalvis in tria manifeste loculamenta per dissepimentum ex medio valvularum pariete longitudinaliter enatum dividitur, & in quolibet loculamento semina quaterna aut pauciora continet nigra. Crescit in collibus apricis asperis. Floret a Majo ad Augustum. Semina pariter Julio & Augusto.

TABULA DUCENTESIMA QUINQUAGESIMA TERTIA.

SILENE CONICA. *Linn. syst. p. 310. Jacq. enum. vindob. p. 240.*
Lychnis conica. *Scop. carn. 1. p. 308.*

Synonyma alia omitto, ne in errorem incidam. Ex radice annua & albicante caulis protruditur plerumque unicus, raro plures, teres, bimedialis aut pedalis, erectus, simplicissimus aut ramosus, & incanus. Folia sibi opponuntur oblonga, angusta, acuta, crassiula, integerrima, sessilia, ad basin levissime saepe connata, subtus incana. Haec utraque, caulis, pedunculi & calyces densis villis sunt mollia. Pedunculi uniflori. Dichotomia dumtaxat in planta sylvestri elatiore inque culta observatur, ceterum valde obscura aut etiam nulla. Calyx striis notatur tricenis, basi retusus, in flore oblongus, in fructu conicus. Petala coloris plus minus saturate rosei gaudent appendiculis generis, emarginata cum denticulo intermedio, idque modo profundius, modo obsoletius, ut integra videri possint. Styli pubescunt toti. Capsula rotundato-conica nitidaque apicem habet sexfariam dehiscentem. Rara apud nos planta in collibus apricis siccis & in arvis; floret Majo & Junio, semina perficiens Junio & Julio. In tabula tres plantae sistuntur sylvestres, prouti variare consuevit, culta ramosior evadens.

TABULA DUCENTESIMA QUINQUAGESIMA QUARTA.

HYSSOPUS OFFICINALIS. *Linn. syst. p. 389.*
Hyssopus foliis linearibus, punctatis; verticillis in spicas continuatis. *Hall. hist. helv. num. 249.*
Hyssopus officinarum caerulea seu spicata. *Bauh. pin. 218.*

Omnia in hac minora sunt quam in hortensi, & corolla perpetuo saturate caerulescit. Tota gravi aromatico odore & sapore. Radix perennis, lignosa, ramosa, nigrescens, fibrillis capillaribus numerosis, longa, & multiceps, rupium rimis, parca terra farctis, profunde innascitur, caulesque fundit plures, erectos, basi fruticosos ac perennantes, superne herbaceos & annuos, plus minus pedales & tetragonos. Folia sunt opposita, ex lineari lanceolata, acuta, integra, brevissime petiolata, ad lentem utrinque punctis

ctis veluti glandulosis & ad oras spinulis albidis instructa, quod figura addita partis tubi aucti demonstrat. Ex foliorum alis breviora quaedam folia exeunt, eorumque novorum ramulorum exordia. Spica secunda componitur ex pedunculis axillaribus multifloris & oppositis. Corollae labium superius est oblongum. Labii inferioris laciniae illae patentissimae sunt, saepius recurvatae, quae si ex affinium indole dicantur lacinia labii inferioris intermedia, tunc laciniae faucis Linnaeanae evadunt laciniae labii inferioris laterales. Florent Julio & Augusto. Crescit in montibus saxosis.

TABULA DUCENTESIMA QUINQUAGESIMA QUINTA.

RHODODENDRUM FERRUGINEUM, *Linn. syst. p. 299. Jacq. obs. part. 1. pag. 26. tab. 16. Scop. carn. 1. p. 286.*
Rhododendron foliis ellipticis, glabris, subtus rubiginosis. *Hall. hist. helv. num. 1015.*
Chamaerododendros alpina glabra. *Duhamel. arbr. 1. p. 162. tab 61.*
Chamaerododendros montana Allobrogum, laurocerasifolia, chamelaeifolia vel oleaefolia, minus odora. *Lob. ic. 365.*
Ledi alpini genus alterum. *Clus. hist. 81.*
Ledum alpinum, foliis ferrea rubigine nigricantibus. *Bauh. pin. 468.*

In Austriae alpibus reperitur non infrequens, florumque copia & elegantia iisdem ornamento est, caeterum frutex distortus & difformis, duos pedes raro apud nos superans. In summis alpium jugis ad pineta crescere solet; in subalpinis autem locis, ad quae etiam descendit, praeruptas & humentes rupes sive muscosas sive gramineas amat, ubi diffusus se late interdum extendit. Ex procumbentibus caulibus radices tenellas telluri infigit. Evulsi autem, quantumvis evelli ipsa radice principe, rupium innata fissuris, nequit illaesa, illius tamen in hortos transplantatio fit facilis; ubi crescere etiam per annos quidem pergit, raros autem flores producit. Versus ramulorum extremitates folia densius oriuntur; quae sunt crassiula, firma, integerrima, breviter petiolata, ovalia, obtusiuscula, facie saturate virentia, dorso leprosa ferruginea & punctis saepe aeris adspersa; juniora interdum quaedam obsolete ciliata & utrinque virentia. Pedunculi proprii, erecti, uniflori, & bracteola subaxillari muniti colliguntur in racemum communem. Perianthium exiguum, monophyllum, quinquedentatum & patulum sustentat basin latam petali. Hujus infundibuliformis rubri & semiquinquefidi tubus est interne villosus, calyce amplior, punctis albis scaber. Limbi vero patentissimi & obscure bilabiati laciniae sunt oblongae, obtusissimae, planae. Filamenta corollae tubum non superant, inferne hirsuta, versus apicem attenuata, ipsi receptaculo communi, nec corollae, inferuntur, purpurascunt, in orbem posita quidem, sed declinata incumbunt parieti inferiori faucis corollae, superiora successive longiora. Antherae oblongae exiguae. Germen ovatum pentagonum trisulcumque viret. Stigma est capitato quinquefidum. Capsula fusca, ovato-oblonga, quinquesulcata, quinquelocularis & superne quinquevalvis semina continet numerosa & minuta receptaculo affixa pentagono & longitudine capsulae. Florent Junio & Julio. Semina perficit Septembri.

TABULA DUCENTESIMA QUINQUAGESIMA SEXTA.

BUPLEURUM GERARDI.
Bupleurum involucris & involucellis pentaphyllis, foliolis lineari-subulatis. *Ger. Galloprov. p. 233. t. 9.*

Planta annua, insipida, inodora & glabra ex radice pallente & gracili promit caulem erectum, teretem, substriatum, cavum, sesquipedalem vel altiorem, totumque ex alis foliorum ramosum. Rami pauci sunt. Folia gramineа paulatim desinunt in acumen, a duabus ad quatuor uncias longa, integerrima, sessilia, alterna. Umbellæ sunt pedunculatæ, terminales & axillares, constantque radiis a quinque ad octo, inæqualibus, gracilibusque. Involucrum universale habet foliola quina, vel rarissime quaterna ternave, ex lineari vel lanceolato acuminata, inæqualia, umbella breviora. Partiale pentaphyllum umbellulam ad minus æquat, cæterum priori simile. In umbella partiali numero flores a quatuor ad octo, pene sessiles, & fertiles omnes. Germen est glabrum & sulcatum. Petala ovata, integerrima, subacuta, & inflexa flavescunt. Filamenta sunt brevia. Semina oblonga, fusca, glabra, hinc sulco exarata, inde sunt convexa & substriata. Crescit in lapidosis & ad vineas. Floret Julio & Augusto. Semina fert Augusto & Septembri. A Bupleuro junceo Linnæi opinor diversum esse.

TABULA DUCENTESIMA QUINQUAGESIMA SEPTIMA.

SIUM FALCARIA. *Linn. syst. pag.* 211.
Sium foliis firmis, serratis, pinnatis; nervo folioso lacescente. *Hall. hist. helv. num.* 782.
Falcaria. *Riv. pent. irr. tab.* 47.
Seseli Falcaria. *Crantz. fasc. p.* 208. *Scop. carn.* 1. *p.* 213.
Ammi perenne repens, foliis longioribus serratis. *Moris. hist.* 3. *p.* 294. *s.* 9. *t.* 8. *f.* 1.
Eryngium arvense, foliis serræ similibus. *Bauh. pin.* 386.
Eryngium quartum. *Dod. pempt.* 5. *l.* 5. *c.* 13.

Tota planta glaberrima est. Radix longissima ut vix integra evelli queat, calamum vel pollicem crassa, teres, utrinque albida, annosior foris pallide fuscescens, cumque in plurimum multiceps idque non raro profunde sub terra, inodora, succum sub cortice exstillans difficile subcroceum, ferme insipida, deglutita fauces tamen urens & nauseosa. Caulis juvenilis depictus sistitur, qui in adulta planta evadit ramosissimus, diffusus, patens, & unum alterumve pedem altus. Sunt vero caulis & rami teretes, lineati, viridi, tenues, vel ad summum crassitie calami, medullaque alba referti. Folia radicalia sunt ternata, aut simplicia, aut difformiter pinnatifida. Costa compressa ex vagina oritur membranacea & canaliculata. Pinnæ sunt ex lineari ensiformes, acutæ, planæ, firmiores, utrinque in glauco virentes, a tribus ad sex uncias longæ, argute tenuiter & presse serratæ, per costas particulares magis minusve decurrentes. Caulina in ramea breviora figuram ferme eandem servant. Involucri universalis foliola circiter octona, subsetacea, longitudine inæqualia, unico plerumque duplo reliquis longiore, integra, patentissima vel etiam semireflexa, sunt radiis multo breviora. Partialis similia, sed pauciora. Umbella est plana, nec densa. Petala sunt albida, æqualia, ovata, propter apicem longe acuminatum inflexumque cordata, patentissima. Antheræ pallide sulphureæ locantur in filamentis albis corollamque superantibus. Germen est oblongum, compressum, striatum & viridum. Styli albent. Flosculi plures germine stylisque carent, hinc steriles, idque inprimis in umbellis ultimo prodeuntibus. Perianthium proprium in flosculis sterilibus subcampanulatum patens acutum & semiquinquefidum est; in fertilibus minus notabile & pentaphyllum. Semina sunt oblonga, parva, glabra, pallide fusca, inodora, sapore prædita parum acri, hinc plana, illinc quinque striis protuberantibus quadrisulcata. Crescit in apricis siccioribus vulgatissima, florens ab initio Augusti ad Octobrem. Ad marginem adstant aucta flos, perianthium ex flore sterili, pistillum integrum ex fertili, semen, ejusque sectio transversa; cum in naturali magnitudine semen.

TA-

TABULA DUCENTESIMA QUINQUAGESIMA OCTAVA.

PEDICULARIS RECUTITA. *Linn. syst. pag. 407.*
Pedicularis obsoleta. *Crantz. fasc. p. 316.*
Pedicularis caule simplici; foliis pinnatis; floribus spicatis; staminibus eminentibus. *Hall hist. helv. num. 316.*

In summis alpium quibusdam jugis copiose reperitur florens initio Julii, ex radice perenni crassa ac difformi, seu capite communi, emittens fibras plurimas longas & sordide albentes, caulemque promens plus minus pedalem, modo unicum, modo plures, erectum, virentem, glabrum, simplicem, nitidum, suberectum, terminatumque spica florum subovata aut oblonga, ex floribus alternis sessilibus solitariis foliolisque sensim brevioribus densissime congesta. Folia radicalia & illa, quæ caulem (quandoque in medio longe aphyllum) inordinate vestiunt, sunt pinnata, glabra, oblonga; pinnis oblongis, acutis, inciso-serratis, confluentibus ad pinnam proximam. Folia & caules recentia clarum pro exsiccatione adhibitam ampla macula rubra tingunt, postea exsiccata violacea, ut planta tinctoria videatur. Calyx pallide virens, campanulatus, subangulatus, subpilosus, paulo supra medium quinquefidus; laciniis lanceolato-acuminatis, erectis; suprema breviori & latiori; reliquis æqualibus. Corolla inodora & calyce triplo longior supra huncantrorsum leviter inclinatur. Tubus longitudine calycis & cylindraceus rubet. Galea oblonga, obtusa, recta, ad apicem pro stylo egrediente leviter emarginata, glabra, ad oras interne flavescit, exterum sordide & saturate purpurascit, ut marcescentem credas. Labium inferius trilobum & sordidius dilutiusque purpurascens patet; laciniis subrotundis obtusis & æqualibus. Filamenta capillaria, exteriora longiora sunt hirsuta, interiora glabra, omnia includuntur cum quatuor galea, nec aut hac longiora unquam sunt, aut extra hanc in vivente planta exeruntur. Antheræ flavent, basi bisidæ & acuminatæ. Stylus glaber desinit in stigma simplex obtusum. Ad basin germinis antice glandula adstat virescens lata cum margine obsolete trilobo. Capsula congenerum est.

TABULA DUCENTESIMA QUINQUAGESIMA NONA.

HYPERICUM BARBATUM.

Ex radice perenni ramosa foris fusca gracili & sæpius horizontali caulem gignit erectum, simplicem, glabrum, teretem, plus minus pedalem, & cum aliqua purpura virentem. Hic ex summis duobus foliis terminatur in florem breviter pedunculatum & primo florentem; ad cujus utrinque latus ex eorumdem foliorum alis pedunculi communes exeunt subquinqueflori; floribus subpedunculatis, inferioribus primo florentibus, tunc erectis, antea cernuis. Ex axillis foliorum superiorum etiam occulluntur pedunculi communes oppositi breves glabri & pauciflori, interdum bifide divisi. Folia sunt oblonge lanceolata, sessilia, obtusa, glaberrima, integra; in planta crescente plana, cujusmodi in figura tabulæ marginali plantæ fructescentis repræsentantur, in carpea vero intra pauca minuta versus lateribus flexo, qualia Icon plantæ florentis habet. Folia, calyx & petala, omnia utrinque, punctis nigris adsperguntur. Flos inodorus calycinis foliolis gaudet lanceolatis, acuminatis, virentibus, & ad oras per pilos longos molles nec glandulosos, qui eundem adhucdum clausum reddunt valde barbatum, (qua sola nota ab affinibus facile dignoscitur.) ciliatis. Petala sunt obverse ovata, obtusissima, plana, striata, lutea, & superne minutissime argute & inæqualiter serrulata, serraturis quibusdam pilo terminatis. Filamenta, antheræ, stylique tres eumdem cum corolla colorem possident. Germen ovatum glabrumque ex flavo pallet. Stigmata fuscescunt. Capsula est ovata, fusca, glabra, acuminata,

ad microscopium numerosis corpusculis subflavis pellucidisque, quae guttulas gummosas referunt, adspersa, trilocularis, & trivalvis. Semina flavescunt. Crescit in pratis ad sylvas. Floret Junio. Julio & Augusti initio perficit semina. Ad latus conspicitur figura floris a tergo visi, tum caulis fructigeri pars superior. Amicissimus a Mygind & reverendus Franciscus Xaverius Boujart primi detexerunt.

TABULA DUCENTESIMA SEXAGESIMA.

SIUM REPENS.

Ex radice brevi, praemorsa, terete, alba, vix calamum crassa, & perennante, cauliculi quaquaversum tenduntur teretes, herbacei, ramosi & nudi, qui, dum stricte terrae incumbunt, repuntque inde, ex nodis omnibus radiculas fibrosas & albicantes emittunt, totidemque veluti gemmas singulares proferunt, caulibus inter se connexas, ut omnino difficile sit in tanto plantularum cespite ordinem detegere naturae. Hinc etiam ita graminibus immergitur, atque abditur, ut praetereuntis oculos fugiat. Folia radicalia & caulina sunt pinnata ex foliolis oppositis, numero variis a tribus utrinque ad sex cum impari terminatrice, sessilibus, ex ovato subrotundis, inaequaliter serratis cum incisione aliqua saepe profundiore, dentibus vel acutis; terminali ut plurimum magis minusve profunde trilobo. Umbellae sunt oppositifoliae, aliquo respectu axillares etiam dicendae; universalis fulcitur involucri foliolis quinque vel sex, vel paucioribus, fere numero radiorum, lanceolatis, acutis, integerrimis, brevibusque. Umbellulae hemisphaericae & densae flosculos a decem ad viginti quinque, fertiles omnes, & involucrum habent priori simile, plerumque hexaphyllum, & sui longitudine. Petala sunt alba, lanceolata, acuta, patentissima, aequalia, apicemque cuspidem inflectentia. Antherae purpurascunt. Fructus compresso subrotundus separatur in duo semina glabra, hinc plana, illinc convexa. Crescit in pratis udis, nec in fossis aut rivulis vicinis ipsis, sed semper extra aquam. Floret a Julio ad Octobrim, hoc ultimo mense perficiens semina. In tabulae margine exhibentur duo radii; dein fructus integer in nativo statu; tandem auctum semen. Non putem, ut alii, hanc plantulam ad Sison inundatum posse; nec enim aut cum auctorum figuris aut cum sicco specimine meo convenit.

TABULA DUCENTESIMA SEXAGESIMA PRIMA.

TORDYLIUM ANTHRISCUS. *Linn. syst. pag.* 205.
Caucalis Anthriscus. *Scop. carn.* 1. *p.* 190. *Crantz. fasc. p.* 226.
Caucalis foliis duplicato-pinnatis, nervo multoties latioribus. *Hall. hist. helv. num.* 741.
Caucalis flore rubente. *Riv. pent. irr. t.* 32.
Caucalis semine aspero, flosculis rubentibus. *Bauh. prodr. p.* 80.
Anthriscus semine aspero. *Raii. syn.* 3. *p.* 83.
Daucus annuus minor. *Tourn. inst.* 308.

Radix annua tenuis & pallens caulem procrudit pedalem vel tripedalem, teretem, striatum, totum ramosum erectumque. Folia sunt subbipinnata, pallide & ineleganter virentia, tandem saepe atropurpurascentia; foliolis pinnatifidis aut serrato-incisis, acutis, etiam mucronatis, longe lanceolatis. Vaginae haud sunt notabiles. Umbella universalis planiuscula & rara constat radiis communiter a quinque ad octo: fulcitur involucri foliolis plerumque tot, quot sunt radii exteriores, quibus subsessilis cum accumbere soleant arcte singulis singula, ut oculos fugiant saepe, videanturque aut pauciora aut nulla. Umbellu-

la

la decliores & plana vel valde parum convexa: habent involucrum universale simile & longitudine radiorum. Germina hispida coronantur perianthio exiguo & quinquedentato. Petala in aliis indelebilis purpurea, albissima in aliis, sunt propter apicem inflexum valde obversè cordata, patentissima, ad basin attenuata, dorso hirsutula, ſæpe inæqualia, in floribus exterioribus exteriora paulo majora, nec tamen valde radiantia. Filamenta alba petalisque longiora ferunt antheras dilutius purpureasque. Styli bini breves. Interiores plerique flores germine carent, hinc steriles. Fructus ovatos leviterque compressos dispescitur in duo semina hinc gibba & pilis subulatis furcatisque aculeatis hispida, illinc linea glabra longitudinaliter concava, ad convexas autem oras etiam pilosa, inodora & ferme insipida. Tota planta pilis minimis, albidis, vix nudo oculo conspicuendis, aspera est. Crescit ad sepes, atque sylvis. Floret a Julio ad Septembrem. Fructus perficit autumno. In tabulæ margine additur fructus; tum nuda flos, semen, ejusque segmentum transversum.

TABULA DUCENTESIMA SEXAGESIMA SECUNDA.

SISYMBRIUM AUSTRIACUM.

Biennis planta primo anno mera folia radicalia fundit, altero caulem solitarium, aut minus ramosum elongatumque, qualis hic in tabula depingitur, aut ramos vel ex alternis foliis emittentem, omnesque breviorem, quem habitum culta sequi solet, sic a cultis Sinapi pyrenaica omnino vix distinguenda. Modo tota glaberrima est, modo pili albi eandem, foliorum marginem, racemos calycesque rariter obsident. Rami sunt simplices floriferi & axillares. Caulis teres & a dimidio ad duos pedes altus erigitur. Folia radicalia sunt glabra, nitida, ex latiori fine sensim in petiolum attenuata, obtusa, a tribus ad quinque uncias longa, angusta, inæqualiter dentata, idque in colore lucidiora. Caulina infima radicalibus ferme similia sunt; proxima oblonga, dentato-incisa, & acuta; summa denticulata & subsessilia. Flores magis in racemum oblongum quam in corymbum disponuntur, odore praediti aliquo. Calyces subflavescunt. Petala sunt lutea, nervulosa, calyce longiora, obtusa, ex ungue erecto abeuntia in laminam ovato-subrotundam patentissimamque. Filamenta flava corollam æquant, antheris instructa luteis & incumbentibus. Germen tantisper ultra corollam eminet. Siliqua uncialis vel duplo longior, tenuis, teres, ad semina parum torulosa, recta vel incurvula continet semina plurima ovata & ex fusco pallentia. Siliquæ omnes ante maturitatem eodem versus vergunt. Sapore nasturtii tota gaudet. Crescit in umbrosis rupestribus ad pedes alpium. Floret Maio. Semina dat Julio.

TABULA DUCENTESIMA SEXAGESIMA TERTIA.

SCANDIX PECTEN. *Linn. syst. pag.* 223. *Scop. carn.* 1. *p.* 211. *Dod. pempt.* 5. *l.* 4. *c.* 11.
Scandix. *Riv. pent. irr. tab.* 38.
Scandix semine rostrato vulgaris. *Bauh. pin.* 152.
Chærophyllum Pecten Veneris. *Crantz. fasc. p.* 189.
Myrrhis seminis cornu longissimo. *Hall. hist. helv. num.* 754.
Pecten Veneris. *Cam. epit.* 302.

Annua & semipedalis aut paulo altior planta radici insidit albidæ & tenui, caulemque habet teretem, striatum, glabrum, aut solitarium, aut plures. Folia sunt multiplicato-pinnata: laciniis linearibus, acutis, planis, læte virentibus, & ad microscopium rari-

riter breviterque pilosis. Involucrum universale abest. Particulare ex foliolis ut plurimum quinis fit, iisque latis & bis vel ter dentatis. Umbella universalis ex duobus constat radiis, etiam simplicissima ex unico. Umbellulæ sunt pauciflorae. Petala alba, obverse & anguste ovata, subemarginata, patentissima, in flosculis centralibus æqualia, in exterioribus exteriora longiora. Filamenta corollæ longitudine & situ, alba, caduca. Antheræ subrotundæ. Styli subulati & breves. Germen oblongum & subhirsutum in flosculis exterioribus; in centralibus abortientibus nullum. Semina fusca, oblonga, hinc sulcata, illinc convexa & striata in rostrum excurrunt longissimum, una cum rostro & digitum dorsum versum aspera. Crescit in agris. Floret Majo & initio Junii. Julio semina maturescunt. Ad latus sistuntur fructus integer feminisque sectio transversa; tum auctus flos.

TABULA DUCENTESIMA SEXAGESIMA QUARTA.

ORCHIS ODORATISSIMA. *Linn. syst. p.* 590.
Orchidis conopsea varietas. *Jacq. enum. vindob. p.* 293.
Orchis radicibus palmatis; flore concolore; labello obtuse trifido; calcare germine breviore. *Hall. hist. helv. num.* 1274. *tab.* 29.
Orchis palmata angustifolia minor, odoratissima. *Bauh. pin.* 86. *prodr. pag.* 30. *t.* 30. *Seg. ver.* 3. *p.* 250. *t.* 8. *f.* 6.
Palmata caryophyllata. *Bauh. hist.* 2. *p.* 777.

Subalpina pascua Orchis hæc suaveolentissima passim insigni sua copia gratissima reddit, florens Junio & Julii initio, varians indiscriminatim floris toties, modo niveo colore, modo ex carneo magis minusve purpureo. Bulbi sunt palmati & compressi. Folia circiter decem, linearia; inferiora patula, canaliculata & acuta; superiora breviora, acuminata, planiuscula & ad caulem appressa. Caulis superne striatus & ab octo ad quatuordecim uncias altus erigitur. Spathæ sunt lanceolatæ acuminatæ & paulo floribus breviores. Hi locantur in spica densa vereque cylindrica, nec ampla. Petala tria exteriora sunt subovata & obtusa; lateralia duo patentissima, & oras revoluta, hinc nisi linearia & angustiora; intermedium vero erigitur, & ultra petala duo interiora, quæ subtriangularia in cucullum connivent, paulo altius supereminet. Calcar nectarii gracile & incurvum æquat longitudine germen. Labium inferius est semitrilobum: laciniis subrotundis, integris; modo æqualibus, modo lateralibus majoribus aut minoribus. Antheræ flavent. Tota glabra est. Ad latus flos integer & petalum interius adstant.

TABULA DUCENTESIMA SEXAGESIMA QUINTA.

ORCHIS GLOBOSA. *Linn. syst. pag.* 589. *Jacq. enum. vindob. p.* 292. *Scop. carn.* 2. *p.* 188.
Orchis rotunda. *Dal. lugd. p.* 1556.
Orchis Halleri. *Crantz. fasc. p.* 488.
Orchis radicibus subrotundis; spica densissima; petalis exterioribus aristatis. *Hall. hist. helv. num.* 1272. *t.* 27.
Orchis flore globoso. *Bauh. pin.* 81.

Bulbi ex ovato oblongi. Caulis ab octo unciis ad duos pedes altus, teres, erectus. Folia oblonga, acuta, erecta, ad basin vaginantia, superiora sensim minora, & glauca, totum caulem vestiunt; radicalia nulla. Bracteæ lanceolatæ acuminatæ & longitudine germinis. Spica est densissima, ex conico subrotunda. Flores leviter odorati, quandoque sub-

inversè. Petala ex purpureo carnea, idque magis minusve saturate, & ovata in laminam angustam excurrunt apice spathulatam, exteriora tria petala; duo interiora breviora, magis plerumque acuta, ad basin magis purpurea, & conniventia. Labium nectarii corollæ concolor, punctis præterea saturate purpureis inspersum, utrinque lacinias habet obtusas, subæquales, aut emarginatas aut integerrimas aut intermedia sæpius mucrone auctâ. Calcar incurvum pallidumque est duplo brevius germine. Tota planta glabra est. Exsiccata nigrescit semper. Passim incolit pascua montana magis edita, & in alpes adscendit. Floret Junio & Julio.

TABULA DUCENTESIMA SEXAGESIMA SEXTA.

ORCHIS PYRAMIDALIS. *Linn. syst. pag. 589. Jacq. enum. vindob. p. 292. Scop. carn. 2. p. 187. Crantz. fasc. p. 506.*

Orchis radicibus subrotundis; spica densa; calcare longissimo; labello bicorni, æqualiter tripartito. *Hall. hist. helv. num. 1286.*

Orchis flore conglomerato. *Riv. 1. 14.*

Orchis purpurea, spica congesta pyramidali. *Seg. ver. 2. p. 129. t. 15. f. 41.*

Cynosorchis militaris montana, spica rubente conglomerata. *Bauh. pin. 81. prodr. 28.*

Planta erecta, glabra, plus minus pedalis. Bulbi subrotundi. Caulis teres ferme totus tegitur foliis convolutis, acutis, paulatim brevioribus, summis sæpe purpurascentibus. Radicalia pauca & caulina intima sunt oblonga, acuta, virentia, basi vaginantia, exterum libera, erectiuscula, longa uncias circiter tres vel quatuor, lata dimidiam. Bracteæ angustæ, in acumen attenuatæ, & longitudine germinis, sordide purpurascunt. Spica est densa, conica vel magis ovata, & brevis. Flos leviter aut sæpe vix odoratus, ex æquo totus eleganter ex purpureo rubet. Petala sunt lanceolata, acuta, parum concava, duo lateralia exteriora patentissima; superius & interiora duo erecta. Nectarii calcar valde gracile & subacutum germine est longius. Labii trilobi & plani lacinia media est angustior, omnes oblongæ obtusæ & integræ vel subserrulatæ. Ad originem hujus labii gibbi duo longitudinales conspiciuntur. Crescit in pascuis subalpinis. Floret Julio.

TABULA DUCENTESIMA SEXAGESIMA SEPTIMA.

VALERIANA SAXATILIS. *Linn. syst. p. 72. Jacq. enum. vindob. p. 204. Scop. carn. 1. p. 35.*

Valeriana sylvestris alpina secunda saxatilis. *Clus. hist. LVI.*

Valeriana alpina nardo celticæ similis. *Bauh. pin. 46.*

Tota nitida est, plus minus semipedalis, in rupestribus subalpinis crescens, ad alpes etiam ipsas adscendens, hic Julio florens, ibi Junio. Radix perennis, fusca, fibris longis & numerosis aucta, a foliorum reliquiis capillata, unicam vel multiceps plures plantulas proferens, odore pollet & sapore Valerianæ officinalis, sed hac ingratiori & acriori, quare Linnæana synonyma alia omisi. Folia sunt subovata aut lanceolata aut obverse ovata, modo integerrima, modo paucis dentibus incisa, obtusa, firmula, subtrinervia, utrinque glabra, ad oras obsolete pilosa, fere insipida, attenuata in petiolum folii ipsius admimus longitudine. Caulina ex adverso nascentia adsunt perpetuo bina plerumque infra medietatem caulis, ex lineari vel paulo magis lanceolata, obtusa vel acuta, integerrima, rarius subdentata, ferme uncialia, e quorum alterutra vel utraque axilla quandoque pedunculus erit contrarius, quandoque nullus. Caulis suberes levissimeque compressus. Pedunculi

com-

communes oppositi fulciuntur stipulis, paniculamque formant magis minusve contractam aut productam. Flores sunt dioici. Maribus corolla multo major est cum tubo infundibuliformi longitudine laciniarum. Filamenta sunt tria petalum æquantia cum antheris ochroleucis. Germen adest etiam, sed stylo carens, hinc sterile. In fœmineis superat corollam, stigmate donatus trigemino. Pedicelli nemci tubus est brevissimus. Stamina hic nulla. Fructus sequitur papposus. Utriusque corolla est candida, in quinque lacinias divisa, ut tamen interdum quatuor vel sex numerentur. Vidi in planta quadam fœminea folia caulina verticillatim quaterna, & ex his quatuor pedunculos communes exeuntes. Tabula marem exhibet, & ad latus pedunculum fœmineum.

TABULA DUCENTESIMA SEXAGESIMA OCTAVA.

VALERIANA TRIPTERIS. *Linn. syst. p. 72. Jacq. enum. vindob. p. 201. Scop. carn. 1. p. 34.*

Valeriana foliis radicalibus petiolatis, cordatis, serratis; caulinis tripteris. *Hall. hist. num.* 211.

Valeriana alpina prima. *Bauh. pin.* 165. *prodr.* 86. t. 86.

Valeriana sylvestris alpina prima latifolia. *Clus. hist. LV.* quoad descriptionem, nec quoad iconem.

Ex radice odorata, subfusca, longa, perenni, & longe multicipite, folia proveniunt radicalia plura, ex oblongo cordata, glabra, obtusiuscula, longe petiolata, & serrata; prono prodeuntia magis subrotunda minusque serrata. Caulina opposita, lanceolata, acuta, breviter petiolata, ternata cum basibus sæpe confluentibus, varie serrata aut integerrima; rarissime pinnata ex foliolis omnino quinis, aut ex adverso fumma simplicissima. Caulis erigitur plus minus pedalis, glaber, atque paniculam terminatus. Floribus albis, hermaphroditis, triandris, atque infundibuliformibus succedunt semina papposa. Crescit copiosissime & passim in subalpinis sylvis ad earundemque margines. Floret Junio & Julio.

TABULA DUCENTESIMA SEXAGESIMA NONA.

VALERIANA MONTANA. *Linn. syst. p. 72. Scop. carn. 1. p. 34. Dalech. lugd. p.* 1127.

Valeriana foliis ovatis, acuminatis, obiter dentatis. *Hall. hist. helv. num* 212.

Valeriana alpina scrophulariæ folio. *Bauh. pin.* 164. *prodr.* 87.

Valeriana sylvestris alpina prima latifolia. *Clus. hist. LV.* quoad iconem, nec descriptionem.

Valeriana montana subrotundo folio. *Bauh. pin.* 165.

Habitu & statura cum priore convenit, quacum etiam mixtim crescere solet, panicula florum densiore floribusque sæpe purpureis aut carneis eminus sat facile distinguenda, etiamsi albos quoque in aliis individuis habeat. Corollæ eædem sunt, scilicet infundibuliformes, quinquefidæ, nonnunquam semiquadrifidæ. Stamina tria aut perslo longiora, aut ejus tubo breviora, ut ægre appareant. Flores hermaphroditi. Semina papposa. Radix surculosa multiceps plantas plures producit, parum odorata. Folia omnia sunt acuta, glabra, serrata, & subovata; radicalia longe petiolata: caulina breviter petiolata aut subsessilia, omnia simplicia. Caulis superne in paniculam abit. A fine Junii ad Augusti finem floret, paulo serius eodem in loco incipiens quam Tripteris.

TA-

TABULA DUCENTESIMA SEPTUAGESIMA.

ARENARIA AUSTRIACA.

Ex radice perenni, ex fibris tenuissimis fasciculata, cespes densus exoritur caulium teretium, procumbentium, quandoque semipedalium, ramosorum, & debilium, ex quibus numerosi rami attolluntur plurimi, erecti, herbacei, teretes, a tribus ad sex uncias alti, flore terminati unico, ita ut sæpius ex summi folii ala ramulus alter etiam uniflorus succedat. Folia caules ramosque ornant plurima, opposita, linearia, acuta, glabra, planiuscula, a dimidia ad integram unciam longa. Stipulæ adsunt nullæ. Pedunculi (nec ipsi caules aut rami) & calyces pubescunt. Flores & fructus persistunt erecti. Calycis foliola lanceolata, acuta, convexoque, leviter in florescentia patent. Petala alba ex obverse angustèque ovata figura in unguem pauliatim attenuantur, superne patentissima, perianthio ferme duplo longiora. Filamenta antheræ stylique pallent. Capsula ex oblongo conica, nitida, calyce longior & unilocularis semina includit circiter decem orbiculato-reniformia & muricata. Crescit in alpibus frequens. Floret Julio & Augusto.

TABULA DUCENT. SEPTUAGESIMA PRIMA.

CORONILLA MINIMA. *Linn. syst. pag.* 491

Ruta quædam sylvestris. *Cord. Obs. pag.* 221?

Radix lignea, perennis, calamum vel digitum crassa minimum, ramosa, plus minus semipedalis, foris fuscescens, intus albida, plures fundit cauliculos, lignosos, ramosos, duas tresve uncias longos humique prostratos. Ex his quotannis ramuli excrescunt herbacei, annui, teretes, pallide virentes, etiam ii ut plurimum prostrati, superne aphylli inque florum corymbum terminati. Folia sunt pinnata ex foliolis utrinque ut plurimum quatuor, rarius pluribus aut paucioribus, obverse ovatis aut ex ovato subrotundis, etiam sæpe plane orbicularibus, obtusis, integerrimis, crassis, utrinque glaucis, aveniis, parvis, brevissime ac crassissime petiolatis, sapore adstringente simulque rutæ prædito. Costam dorso teretem & supra sulculo exaratam finit foliolum impar, plerumque obverse cordatum. Stipula ad quodlibet novum egressum foliorum obstat unica, dein sæpe decidua, monophylla, membranacea, pallida, connivens ubique & basin amplectens dorsoque superne bifida. Flores fragrantes, lutei, circiter deni. Calyx parvus viret. Alæ admodum concavæ sunt, obtusæ, carinaque duplo longiores. Legumina sunt pendula, subtetragona, fusca, articulata & fragilia. Semina oblonga & fusca. Tota est glaberrima. Crescit in montibus editis; copiosius in alpibus. Floret hic Junio & Julio; ibi Majo. Ad latus tabulæ est stipula expansa; cum coronula fructigera, & semen. Non est coronilla Helleri hist. helv. num. 390, uti ex pluribus meis speciminibus siccis Helveticis didici.

TABULA DUCENT. SEPTUAGESIMA SECUNDA.

ARENARIA LARICIFOLIA. *Linn. syst. p.* 313. an *Scop. carn.* 1. *p.* 317. t. 18?

Alsine foliis linearibus, angustissimis; calycibus tubulosis, villosis. *Hall. hist. helv.* num. 869.

Alsine alpina junceo folio. *Bauh. pin.* 251. *prodr.* 118.

Radix perennis, teres, interdum in crura divisa, sordideque cinerascens, caules spargit plures, ramosos, humi prostratos, tandem semipedales & ultra, nodulosque atque perennes; qui denso cespite numerosos generant cauliculos erectos, simplices, teretes, adultos ad septem uncias altos, herbaceos, subvillosos, annuos, inferne magis foliosos, ad summitatem divisos in duos tres quatuorve pedunculos unifloros & successive producentes. Folia sibi opponuntur, subulata, acuta, sessilia, plus minus semiuncialia, ad oculum nudum fere glabra, ad armatum brevibus albidisque pilis ciliata, facie plana, dorso convexula, erecta vel magis patula; quaedam fasciculata, novorum ramorum principia. Flos campanulatus & ratione plantulae magnus calycina foliola habet villosa, striata, ex oblongo acuminata, & caeterum patula. Petala sunt alba, plana, calyce fere duplo longiora, obverse elongato-ovata, obtusissima, patula, lineisque ramosis, quae ad lentem totidem sulcos indicant, copiose notata. Filamenta longitudine calycis, alterna autem breviora, gerunt antheras pallide ochroleucas. Styli breves albent. Capsula est glabra, ovata, ad apicem trivalvis cum valvulis singulis bifidis, & calyce longior. Semina sunt muricata & nigra. Crescit in lapidosis & arenosis montium locis. Floret Julio & initio Augusti.

TABULA DUCENTESIMA SEPTUAGESIMA TERTIA.

PRIMULA MINIMA. *Linn. syst. p.* 151. *Jacq. obs.* 1. *p.* 25. *t.* 14. *vindob. p.* 208. *Scop. carn.* 1. *p.* 134.
Primula foliis cuneiformibus, nitidis; scapis unifloris. *Hall. hist. helv. num.* 614.
Auricula ursi octava minima. *Clus. hist.* 305.
Sanicula alpina minima. *Lob. ic.* 871.
Sanicula alpina minima carnea. *Bauh. pin.* 245.

Summarum alpium nostrarum frequens incola, & elegans plantula, radice nititur perenni, calami ad summum crassitie, foris per aetatem nigrescente, insipida, fibras albidas & praelongas emittente plerumque subhorizontales, & multicipite. Densi crescit, ut cespites formet. Folia in rosulas collecta, utrinque perpetuo glaberrima & nitentia, sessilia, crassula, a dimidia ad unciam integram longa, cuneiformia, dentibus ad apicem inciduntur numero variis & summitate subulatis. Scapus axillaris, obsolete triangularis glaberque exigitur, modo longitudine foliorum, modo brevior multo, imo nullus quandoque, ut flos evadat sessilis. Hic solitarius, terminalis, erectus, & vix odoratus suffulcitur bractea unica vel geminata, lineari vel oblonga. Calyx ruber vel virens, teres, erectus, ad lentem obscure villosus, viscidus, ad unam tertiam partem quinquefidus. Corollae purpureae vel magis rubentis, omnium rarissime albae, tubus est cylindrico-infundibuliformis, ad faucem albidis villis hirsutus, & nullo collo coarctatus. Limbi patentissimi laciniae sunt obtusae, planae, & obverse cordatae cum incisura magis minusve profunda. Filamenta in varia tubi altitudine locantur in diversis, antheris donata flavis. Capsula obtusissima nitida & fusca est. Floret a Junio ad Septembrem. Culturam admittit, nec notabiliter sic mutatur.

TABULA DUCENTESIMA SEPTUAGESIMA QUARTA.

LONICERA ALPIGENA. *Linn. syst. pag.* 166. *Scop. carn.* 1. *p.* 154.
Lonicera baccis bifloris, floribus bilabiatis. *Mill. ic.* 167. *f.* 2.
Caprifolium foliis ovato-lanceolatis; bacca singulari, bicolli, biflora. *Hall. hist. helv. num.* 674.

Pe-

Periclymenum rectum quartum. *Clus. hist.* 59.
Chamaecerasus. *Gesn. apud Schw. l. num.* 43. *tab.* 14.
Chamaecerasus alpina, fructu rubro gemino, duobus punctis notato. *Bauh. pin.* 451.
Xylosteum folio cerasi. *Rai. synop. III. p.* 129.

Frutex ramosus, diffusus, lentus, ab unica ad quinque pedes altus, cortice in truncis & ramis senioribus cinerascente vestitus, frequenter in subalpinis [illegible] & fruticetis occurrit, ubi floret mense [illegible], dum fructus Septembri [illegible]. Rami juniores sunt subangulati, glabri, [illegible] & virentes aut pallidi. Folia sunt opposita, [illegible], lanceolata vel ovata, acuminata, integra, subtus nervosa, breviter petiolata, ad oculum nudum glabriuscula, ad armatum vero villis brevibus ad nervos dorsales consita, & ad oras saepe dense ciliata, a tribus ad quinque pollices longa, in aridis autem locis quandoque dumtaxat [illegible] & obtusiora. Ex alis foliorum pedunculi exeunt utrinque solitarii, tenues, [illegible], angulati, nudi, [illegible] bracteis [illegible] & ad oras brevissime ciliatae, quae inter germina [illegible] [illegible] utrinque [illegible], [illegible], virens, & [illegible] persistens. [illegible]. Germen autem corollas gemellas, [illegible], [illegible] in [illegible] [illegible], [illegible] sanguineas, [illegible] [illegible]. [illegible] aperitur in duo labia longa, quorum [illegible] [illegible] oblongum obtusum & patentissimum; superius late ovatum latera reflexa [illegible] [illegible]. [illegible] infra [illegible] [illegible]. Antherae [illegible], [illegible]. Bacca [illegible], rubra, nitida, [illegible], [illegible] [illegible] ad [illegible], quae vestigia exhibent [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. Bacca [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] in duo [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] proprio [illegible], [illegible] bacca [illegible] [illegible] [illegible]. Haec ducent ex [illegible] fructu immaturo. Semen ad marginem [illegible] [illegible] in tabula.

TABULA DUCENT. SEPTUAGESIMA QUINTA.

LICHEN ÆRUGINOSUS. *Jacq. vindob. pag.* 198.

Lichen crusta tartarea verrucosa, cinerea; scutellis carneis, planissimis. *Hal. helv. num.* 2044.

Lichen crustaceus, alpinus, lignis putridis adnascens, glaucus; receptaculis florum carneis & tomentibus. *Mich. gen. num.* 58. *fig.* 95.

In sylvis subalpinis udis putridos vastarum arborum dejectarum truncos crusta frequenter obvestit coloris aeruginosi, modo saturatissimi, modo pallidioris, late sese diffusque extendens, quae per lentem conspecta nihil aliud offert praeter mammillosam homogeneamque substantiam; exsiccata magis cinerascens. Hujus superficiei scutellae insidentur [illegible], [illegible], inaequaliter orbiculatae, modo [illegible], modo [illegible], convexulae, quaedam in medio depressiulae, lineam unam circiterve diametro aequantes, sessiles, [illegible] magis minusve carnei, etiam ad oculum armatum homogenei, & constantes cortice concreto & carne excolore atque elastica. Reperitur per totam aestatem, imprimis Augusto.

TABULA DUCENT. SEPTUAGESIMA SEXTA.

OROBANCHE PURPUREA. *Jacq. enum. vindob. p.* 252.

I. Oro-

Orobanche caule simplici; stipulis ternatis; calyce quinquefido. *Hall. hist. helv. num.* 294.

Nec caulis lævis est, nec stamina exserta, ut Orobanche Lævis Linnæi esse nequeat. Scapus sub terra crassescens, & ex flavo sordide pallens circumdatur ad basin glomere denso fibrillarum intertextarum ac fragilium; hinc assurgit fere pedalis, squamis lanceolatis acutis appressis sparsisque vestitus, totus pubescens, simplex, erectus, ex flavo fusco cæruleoque sordide tinctus. Bracteæ ad singulos flores ternæ, acuminatæ, villosæ, concavæ, ex fusco fuscæ cum oris flavescentibus, longitudinem calycis habent; exterior lanceolata; interiores magis lineares subulatæ. Flores inodori a septem ad viginti spicam efficiunt haud densam. Perianthium monophyllum, campanulatum, valde villosum, & semiquinquefidum flavescit; laciniis ciliatis, quarum quatuor lanceolato-acuminatæ erectæ & æquales magis virent; quinta summa locatur, ubi lacinæ priores maxime distant, brevissima acuta triangularis pallidiorque, interdum obsoleta, ut desiderari dicas. Corolla calyce ferme triplo longior, utraque cum interne tum externe, solo hic tubi dorso excepto, hirsuta, rugosa, ad basin ex flavo pallet, superne violacea. Labium superius semibifidum, striatum; laciniis femoratis. Labii inferioris trifidi & lati laciniæ sunt oblongæ & obtusæ; infra quarum divisuras faux in duos gibbos albidos longitudinaliter per totum tubum protractos intercedunt attollitur, hinc multo angustior redditur. Filamenta alba vix ad labium corollæ pertingunt, adeoque perpetuo inclusa manent. Antheræ sunt didymæ, oblongæ, incumbentes, flavæ, hinc obtusissimæ & pilosæ, illinc acuminatæ. Totum pistillum est villosum. Stigma valde crassum, capitatum, bifidum, albidum. Fructus congenerum. Glandulam ad basin germinis video nullam. Crescit in sabulosis. Floret Junio. In tabula ad latus sistuntur calyx, tres bracteæ, pistillum; tum aucti pars filamenti cum anthera.

TABULA DUCENT. SEPTUAGESIMA SEPTIMA.

CISTUS CANUS. *Linn. syst. pag.* 367. *Scop. carn.* 1. *p.* 377. *Crantz. fasc. pag.* 103.

Chamæcistus tertius. *Clus. hist. p.* 74.

Chamæcistus foliis myrti minoris incanis. *Bauh. pin.* 466.

Chamæcistus foliis myrti tarentinæ canis & ciliatis. *Bauh. hist.* 2. *p.* 18.

Radix lignosa, ramosa, foris nigra, & intus albicans, plurimos fundit cauliculos breves, lignosos, perennantes, glabros, humique jacentes; ex quibus annuatim ramuli adscendunt herbacei, foliosi, subvillosi, inque racemos erectos, vix umbellatos dicendos, terminati. Folia sunt angusta elliptica, opposita, petiolata, acuta, utrinque incana, facie quidem minus, sed magis tib. pilosa. Stipulæ ad folia nullæ. Flores in eodem racemo a duobus ad septem, pedunculati erecti. Calycis bifidi & subincani foliola tria majora sunt striata. Petala saturate flavent. Antheræ sunt luteæ. Capsula ovata, acuminata, trigona, vix manifeste hirsutula, trilocularis & trivalvis calyce obtegitur. Semina in quolibet loculamento sunt pauca, duo vel tria, ovata, acuta, angulata & badia. Crescit in collibus lapidosis. Floret Majo. Semina dat sub finem Junii.

TABULA DUCENT. SEPTUAGESIMA OCTAVA.

SENECIO TENUIFOLIUS.

Ra-

Radix perennis, calamum craſſa, pauca uncias longa, fibrisque craſſis albicantibus copioſe donata, horizontaliter progreditur, annuatim caulem unum alterumve proferens, herbaceum, erectum, ſimplicem, teretem, ab unico ad tres pedes altum, ſtriato-angulatum, firmum, calami craſſitie, totum denſius folioſum, ſæpe baſi vel etiam ex integro rubentem, cæterum arachnoideo-ſubincanum, ad extremitatem ex ramolis aliquot ſubdiviſis in corymbum evolutum, a decem ad centum & ultra flores ſuſtinentem. Pedunculi ſunt magis minusve ſquamoſi. Calyx virens, ſquamasque gerit nulla nigredine infectas ſive ſphacelatas. Corollulæ radiantes ſere tredecim, lineares, flavæ, tridentatæ & ad finem ſubdentatæ. Floſculi diſci ſunt flavi. Character in reliquis reſpondet generi. Folia omnia eandem formam habent, ſuntque pinnata, utrinque glabra vel ſubtus arachnoideo-incana; inferiora longe petiolata; ſuperiora ſeſſilia & ſubdecurſiva; pinnis ſublinearibus, acutiuſculis, ſubtus nervo medio protuberante inſignitis, decurrentibus ad coſtam ſuam alatam, longis, diſtantibus, integerrimis vel raro dente inciſis, ad oras revolutis. Creſcit in montanis, florens Septembri & Octobri. Vere differt a Senecione Jacobæa floribus odoratis minoribus, tempore florendi magis autumnali, calycum ſquamis pallentibus non foſcis, foliisque tenuioribus & omnibus ſubpinnatis ſimilibusque. Cum adhuc magis ab illo recedit foliis circumſcriptione multo amplioribus, magis ſubdiviſis, ſemper incanis.

TABULA DUCENT. SEPTUAGESIMA NONA.

ROSA ALPINA. *Linn. ſyſt. p.* 348.
Roſa rupeſtris. *Crantz. ſtirp. p.* 87.
Roſa inermis. *Tiern. chor. elt. p.* 128.
Roſa inermis, fructibus ſeptenis glabris, calycis ſegmentis indiviſis. *Hall. hiſt. helv. num.* 1107.
Roſa alpina rubra ſpinis carens Burſeri. *Act. ſuec. p.* 585.
Roſa rubello flore parvo ſimplici, non ſpinoſa. *Bauh. hiſt.* 2. *p.* 39.

Ex eadem radice plures plerumque caules exſurgunt, ab unico ad quatuor pedes alti, calamum vel digitum craſſi, ramoſi & erecti. Stipulæ foliis aſſident lanceolatæ acutæ & ſerrulatæ. Foliola cum terminali impari coſtæ rubenti tidem utrinque ut plurimum tria, tum etiam quatuor, vel ſoli duo, glabra, æqualiter ſerrata, ſubovata & ſubſeſſilia. Pedunculi pilis glanduloſe capitatis ſemper adſperguntur. Flores ſuaviſſime & ſortiter olent. Germina ſunt ovata & plerumque glaberrima, raries hiſpida. Calycis ſoliola integra lanceolata & concava in longum attenuatumque acumen excurrunt, & ad oras in flore lanuginem gerunt incanam, microſcopio facilius ſpectandam. Petala ſunt emarginata & ſaturatiſſime ex purpureo rubri coloris, quandoque tamen dilutiora. Stigmata ſunt villoſa. Fructus ex oblongo ovatus, infra calycem in collum coarctatus, interdum paruniper incurvus, nitidiſſimus, eleganter rubens, calyce coronatus connivente, & glaberrimus, ſemper propendet, ut hinc quam maxime ad Roſam pendulinam accedat, a qua differt ferme foliis ſuis pedunculis, nunquam, ne vel in cultura quidem, glabris. Inveni etiam fructum magis ſubrotundum, rariſſime etiam hiſpidum, quos tamen utrosque ad lapſu ceſſit. Cæterum hirſutie caulium variat. Rami ſemper glabri ſunt. Coſtæ foliorum & ſtipulæ rarius pilos habent. Caules quidem plerique nudi ſunt; ſunt tamen etiam non rariſſimi, ſæpe in eodem frutice, qui aut toti aut aliqua parte denſis pilis replentur, uti ex altera depicta planta patet. Veros autem aculeos non obſervavi. Atque hæc per culturam non mutantur. Creſcit copioſiſſime in ſubalpinis apricis, florens Junio, fructeſcens Augusto & Septembri.

TABULA DUCENTESIMA OCTOGESIMA.

ARABIS BELLIDIFOLIA. *Linn. syst. p. 443. Jacq. obs. part. 1. p. 22. t. 12. Scop. carn. 2. p. 31.*

Leucoium foliis laevissimis, rariter dentatis; imis petiolatis, ovatis; caulinis amplexicaulibus. *Hall. hist. helv. num. 446. a.*

Nasturtium alpinum bellidis folio majus. *Bauh. prodr. 46.*

Turritis foliis caulem ambeuntibus polyceration. *Bocc. mus. p. 49. t. 41. Schrank. it. 2. p. 143.*

Planta perdita est sapore falsaci, nec grato. Radix perennis & longe multiceps plures caules producit, foliorumque rosas, quae ex basi angusta & petiolum simulante in paginam expanduntur obverse ovatam lanceolatamve, obtusam, caeteris dentatam vel integerrimam. Caulina magis lanceolata sunt, sessilia vel semiamplexicaulia. Omnia autem saturate virent, crassiula sunt, nitida, & aut glaberrima, aut pedis magis minusve protuberantibus atque pilis tenuissimis determinata, veris exasperata. Caules sunt simplicissimi, teretes, glabri, plerumque incurvati, superne paulatim in longum racemum elongandi. Flores corymbosi, inodori. Calyx ex flavo virens, est ad basim gibbus. Petala alba in lanceolam quandoque colorem semper vergunt, calyce duplo longiora, integerrima aut subemarginata, ex obverse ovata figura in unguem angustata. Antherae albidae. Siliqua ad eundem parallela, erecta, glabra, linearis, compresso-plana. Valvulae cum basi cum apice dehiscunt, deciduntque de relicto dissepimento, nec revolvuntur. Semina plana & nuda. Crescit ad radices alpium locis udis. Floret a Julio ad Octobrim. Fructus maturescunt ab Augusto ad Octobris finem. In tenuioribus in herba enata, modo folia glabra praestat, modo eadem, quam in sequente, vix minus hispida.

TABULA DUCENTESIMA OCTOGESIMA PRIMA.

ARABIS PUMILA.

Arabis bellidifolia. *Linn. syst. p. 443. Jacq. obs. part. 1. p. 22. Scop. carn. 2. p. 31.*

Cardamine bellidifolia. *Crantz. fasc. p. 43.*

Cardamine pumila, Bellidis folio, alpina. *Ger. emac. 260. Seg. ver. 1. p. 387.*

Leucoium foliis radicalibus subrotundis, scabris, dentatis; caulinis amplexicaulibus hirsutis. *Hall. hist. helv. num. 447.*

Plantula cardamines alterius aemula. *Clus. hist. p. CXXIX.*

Sinapi pumilum alpinum folio bellidis Clusii. *Bauh. hist. 2. p. 870.*

Nasturtium alpinum bellidis folio minus. *Bauh. pin. 105. Schrank. it. p. 44.*

Quoniam celeberrimi Botanici hanc a priore ceu speciem distinctam separare pergunt, seorsim sub propria nomine hic tradam, quantumvis ipse admodum de hac dubitem diversitate. Pumila haec planta frequens in variarum austriacarum alpium jugis nascitur, idque saepe abundanter, florere incipiens sub Junii finem, aliquas maturas gerens Augusto & Septembri. Radix perennis, ramosa, fordide albens ac multiceps gignit caules ab unico ad decem, hirsutulos vel glabros, a duabus ad sex uncias altos, teretes, tuberculosos, annuos, rarissime ramosis auctos. Folia radicalia sunt crassiula, integerrima vel paucidentata, obverse ovata, in petiolum attenuata, plura simul in rosulas collecta, plerumque ciliata & punctis elevatis pilisque scabra, idque semper notabilius quam in praecedente. Caulina sunt lanceolata, sessilia, utrinque ut plurimum glabra & ad oras obsolete ciliata. Flores sunt corymbosi & inodori. Calycis foliola oblonga obtusa concava erecta & glabra e viridi flavent. Petala sunt alba, obverse ovata, obtusa & calyce duplo longiora. Filamen-

menta calycem vix superant. Antheræ flavæ. Siliquæ immaturæ atrovirent; maturæ exiguntur, continentque semina circiter decem; prioribus similes. Planta depicta major ex loco alpino demissior. est.

TABULA DUCENTESIMA OCTOGESIMA SECUNDA.

BRASSICA ORIENTALIS. *Lin. syst.* p. 444.
Brassica campestris prima. *Clus. hist.* p. CXXVII.
Brassica orientalis perfoliata, flore albo, siliqua quadrangula. *Tourn. cor.* 16.
Brassica campestris perfoliata, flore albo, *Bauh. pin.* 112. *Seg. ver.* 1. p. 380.
Erysimum campestre. *Scop. carn.* 2. p. 27.
Erysimum perfoliatum. *Crantz. fasc.* p. 27.
Eruca foliis ovatis, integerrimis, amplexicaulibus. *Hall. hist. helv. num.* 457.

Hæc ita convenit cum subsequa, prolixe descripta, ut sine flore fructuque non possint modo ullo dignosci ab invicem. Folia exacte eadem. Caulis idem. Idem totus habitus. Discrimina itaque sola adnotabo. Et hæc quidem statura esse solet humiliore, quam inæqualitatem sæpe collis sola diversitas. Culta in horto semper mihi floruit eodem anno; quæ super re in sylvestri non certum mihi judicium est. Multicaulis sæpius est quam altera, qualis elegans apud Clusium figura extat. Propterea unicaulem ego exhibui, specimenque minus & non ramosum. Sic icon utraque mea, & Clusiana, optime diversos situque status, quibus utraque stirps vegetare suevit. Hæc per totum agrum Viennensem reperitur; subsequa paucis in locis. Flores paulo majores. Calyx quandoque leviter purpurascit. In petalis viror unguium venosè percurrit bracteam albam, paululum ochroleucam, & magis patentem. Stamina calycem denuo æquant, nec superant. In siliqua confluens diversitas est. Hæc enim exigitur quidem, sed paulo magis modo; æquabilissime & argutius tetragona est; nec habent latera ejus striam illam elevatam alterius. Semina minus sapida sunt, & vix amara.

TABULA DUCENTESIMA OCTOGESIMA TERTIA.

BRASSICA AUSTRIACA.
Brassica campestris perfoliata, flore luteo. *Loes. pruss. pag.* 29? Antequam judicabunt Borussi.
Brassica perfoliata. *Crantz. fasc.* p. 37? Sed siliquam *cortico-turgidulam* dicit.

Culta ex seminibus primo vere in horto satis, aliæ eodem anno florent Julio mense; aliæ sola folia radicalia producunt, perstant hyeme sub dio, floruntque jam initio Maji, semina perfectiora Julio. Hæc nunc facile ex germinant, sed ex his nulla planta floret ante proximum annum. Atque tali ratione biennem esse plantam sylvestrem, opinor, quum Majo hæc, vel etiam sub finem Aprilis, florere incipiat, pergatque in Junii cursum usque. Radix alba, sublignosa, rarius ramosa, semipedem plus minus longa, crassa calamum vel gracilior, saporem raphani quemdam habet. Caulis plerumque unicus, infrequentius (ut in culta ut plurimum) multiplex, recta attingit ad altitudinem, si una racemum addis, duorum pedum, ex alis foliorum ramosum. Folia sunt integra, ad extremitatem rotundata, crassa, glauca, amplexicaulia, sapore herbaceo nec acri donata, omnia perpetuo, ne cotyledonibus quidem exceptis, glaberrima; radicalia obverse ovata; caulina ovata, basibus cordatis, nec unquam, uti in Brassica campestri Floræ Danicæ, acutis. Neque flores, quales ibidem delineantur, racemosi sunt, sed co-

corymbose paucissimi simul explicantur, ut discrimen hujus a campestri abunde pateat. Calycis tubulosi foliola cum flavedine virent, erecta, oblonga; opposita duo concava & in gibbum haud valde notabilem detrusa; alia duo, in parte floris magis compressa sita, planiora. Petala lutea ex ungue longo erectoque in bracteam desinunt ovatam obtusam patulamque. Filamenta erecta pallidaque extra calycem eminent. Antheræ sunt sulphureæ. Siliquæ stricte eriguntur, fere parallelæ caule, tripollicares, glabræ, subcanæ, utrinque cum singulis lateribus stria longitudinali protuberante notatis. Dissepimentum pellucidum albidumque hinc atque illinc foveolas intropressas pro locandis seminibus habet, quæ sunt oblonga, nigra saporisque ingrati & amari. Crescit in asperis, incultis arvis.

TABULA DUCENT. OCTOGESIMA QUARTA.

CHERLERIA SEDOIDES. *Linn. syst. pag.* 313. *Scop. carn.* 1. *p.* 312.
Cherleria. *Hall. hel. helv. num.* 859. *tab.* 21. *Seg. ver.* 3. *p.* 180. *t.* 4. *f.* 3.
Lychnis alpina, muscosis foliis densius stipatis, floribus parvis, calyce slaviore. *Pluk. alm.* 235. *t.* 42. *f.* 8.
Sedum montanum perpusillum luteum. *Moris. hist.* 3. *p.* 471. *s.* 12. *t.* 6. *f.* 14.
Sedum montanum perpusillum, luteolis floribus. *Park. theatr.* 738.

Radix perennis fusca longa ramosa & valde multiceps densissimum, quandoque vel semipedalem, cespitem rotulatum format, qui constant ex foliis parvis, linearibus, acutis, glabris, demumque elongantur in ramulos rotulæ, (quod in sylvestri accidit rarissime, in culta fere semper, tunc sterilibus,) oppositis & circa medium connatis. Intra rotulas folia emarcida præteritorum annorum conspiciuntur. Pedunculi uniflori, breves ita tamen ut emineant, ex centro rotulæ adultioris enascuntur, ad quorum latus tunc nova rotula prodit. Flos erigitur. Perianthii foliola quinque, sessilia, patentissima in floris explicatione, dein iterum erecta & conniventia, ovata, concava, æqualia, apice obtuso convexoque terminata, ex flavo virent. Petala nulla unquam vidi, vel optimo usus microscopio. Nectarium monophyllum, campanulatum, calyce triplo brevius, e viridi luteum, & profunde quinquepartitum, e receptaculo communi inter calycem germenque exiens; laciniis obversè ovatis sitisque ante lacinias calycis. Filamenta decem, primo erecta, post fœcundationem patentissima, subulata, pallida, longitudine calycis; orta omnia ex ipsius limbo nectarii, alterna inter lacinias, alterna ex laciniarum crenis; nulla a me observata egredi ex receptaculo communi, nec ex nectarii dorso. Antheræ didymæ, ovatæ, flavæ cum polline fulvescente. Germen subrotundum vel ovatum, obsolete trigonum. Styli tres breves & erecti. Stigmata simplicia. Capsulam non vidi maturam. Crescit in summis alpium jugis. Floret Junio & sequentibus. Ad finis tabulæ flos auctus conspicitur.

TABULA DUCENT. OCTOGESIMA QUINTA.

CAMPANULA PULLA. *Linn. syst. p.* 159. *Jacq. obs. part.* 1. *p.* 32. *t.* 18. *Scop. carn.* 1. *p.* 143.
Campanula alpina latifolia, flore pullo. *Bauh. pin.* 93. *prodr.* 35.

Radix fibrosa, ramosa, gracilis, perennis, repens & multiceps cauliculos protrudit plures, annuos, teretes, aut totos glabros, aut inferne pariter hirsutulos, subrectos, a quatuor ad septem uncias altos, simplicissimos, superne in pedunculum abeuntes aphyllum & uniflorum. Folia sunt alternatim sparsa, subovata vel lanceolata, obtusa vel acuta, infima attenuata in petiolum, summa sessilia, obsoletius serrata, glabra, minorum

petiolis interdum rariter ciliatis. Flos cernuus & inodorus habet foliola calycina laevia, subulata, acuta, & patentissima. Corolla eleganter & saturatissime violacea in lacinias superne secatur, breves acutas patulas & semiovatas. Nectarium est hirsutum. Germen inferum, glabrum, atrovirens ac pentagonum. Capsula trilocularis & ad basin tribus foraminulis trivalvis continet semina minuta oblonga & flavescentia. Crescit in alpestribus. Floret Junio & Julio; culta in horto, ubi quoque maxime caespitosa evadit, nec caeterum mutata, a Maji initio ad Septembrem.

TABULA DUCENTESIMA OCTOGESIMA SEXTA.

HIERACIUM PORRIFOLIUM. *Linn. syst. pag.* 523. *Jacq. enum. vindob. p.* 273. *t.* 6. *an Scop. carn.* 2. *p.* 107?
Hieracium phalangii foliis. *Vall. all.* 1721. *pag.* 184.
Hieracium montanum, asphodeli foliis acuminatis. *Bocc. mus. p.* 147. *t.* 106.

Planta glabra est, etiam ipse calyx, qui in enumeratione stirpium agri Vindobonensis a sculptore, tabulam septimam imitato, hirsutus per errorem factus fuit. Ex radice perenni, fusca, brevi & fibris longis pallidioribus crassisque aucta, caulis exsurgit unicus, aut ex eadem radice multicipite multiplex, a semipede ad duos pedes altus, teres, erectus, foliosus, gracilis, superne in pedunculos paucos, squamula una alterave instructos minutulis, paniculatim divisus. Folia sunt sublinearia, acuta, integerrima vel rarius infima quaedam denticulata, plana vel conniventia; radicalia quatuor vel quinque uncias longa, supra ipsam originem sublanuginosa; caulina sessilia, sparsa & successive breviora. Flores corollam habent flavam, calycemque glaberrimum & caesium. Semina oblonga & fusca coronantur pappo sessili piloso & ad lentem denticulato. Tota lactescit. In horto culta nihil mutatur. Crescit passim in rupibus ad pedes alpium, vix ad alpes ipsas adscendens. Floret Julio & Augusto.

TABULA DUCENT. OCTOGESIMA SEPTIMA.

HIERACIUM INCANUM. *Linn. syst. pag.* 522.
Hieracium sextum montanum. *Clus. hist. CXLI. Bauh. hist.* 2. *p.* 1038.
Hieracium montanum angustifolium, nonnihil incanum. *Bauh. pin.* 129.
Apargia incana. *Scop. carn.* 2. *p.* 113.

Planta lactescens ex radice crassa, perenni, foris nigrescente, intus albida, perque aetatem multicipite plures plerumque promit scapos teretes, erectos, foliis duplo triplove altiores, solo foliolo subulato uno alterove vestitos, caeterum aphyllos, flore solitario terminatos. Folia omnia radicalia sunt, anguste lanceolata, basi aliquatenus attenuata in petiolum, obtusa vel acutiuscula, a duabus ad sex uncias longa, tantisper & rarius denticulata caeterum integerrima, erecta, crassula, & utrinque denso tomento ex pilis albis apiceque stellatis incana; cujusmodi etiam pili stellati sed sessiles scapum obducunt. Calyx etiam similibus pilis adscendentibus hispidus squamas habet acuminatas, exteriores magis virentes. Petala & styli flavent. Antherae sunt luteae. Receptaculum vestitur villis brevissimis. Semina pappum gerunt sessilem & plumosum. Crescit frequens in montibus apricis saxosis, florens Majo, Junioque semina perficiens. Ad marginem adstat pars folii ad lentem aucti.

TABULA DUCENT. OCTOGESIMA OCTAVA.

AGARICUS NIVEUS.

Lignis putridis in sylvis subalpinis parasiticus innascitur, ad Amanitam Halleri num. 2335 proxime accedens. Totus est unicolor, lacteus, tenellus, fragilis, ac pellucidus; quae omnia in icone sic exprimi non potuerunt. Omnes sunt brevissimo stipite horizontaliter egrediente donati, a quo pileus porrigitur, etiam horizontalis, dimidiatus, qui supra est glaberrimus planiorque, & ad oras multisque inflexus & convexulus. Lamellae a stipite exeunt partim dimidiatae, partim integrae & versus pilei limbum ramosae, tenuissimae, lacteae in principio, post aliquot horas modice sordent. Stipes basi pilis albis est hirtus. Caro est nivea & tenera. Sub finem Augusti anni 1774 eumdem mihi in itinere alpino clarissimus Mikan, nunc Chemiae & Botanices Professor Pragensis, copiosum invenit.

TABULA DUCENTESIMA OCTOGESIMA NONA.

EUONYMUS LATIFOLIUS. *Scop. carn. 1. p. 165. Linn. spec. pl. vers. 1. β. pag. 286. Bauh. pin. 428. Bauh. hyst. 1. part. 2. pag. 202.*

Euonymus primus sive latifolius. *Clus. hist. 56.*

Euonymus pedunculis lateralibus patulis, foliis subrotundis, fructibus alatis. *Hall. hist. helv. num. 830.*

Fruticis hujus lignum albidum vestitur cortice ex fusco & leucophaeo vario. Rami juniores ad summitatem duntaxat paullumper compressi, caeterum teretes jam sunt, uti seniores. Folia sibi opponuntur petiolis instructa brevibus, ex ovato lanceolata aut oblongo-ovata, acuta, utrinque glaberrima, a duabus ad quatuor uncias longa, omniumque serrulis minimis ad oras serrulata, ut videantur primo intuitu integerrima, unde nec apte exprimi in figura denticuli potuerint. Pedunculi communes ex alis foliorum oriuntur, graciles, oppositi, patentissimi, virides, paucos ad apicem floribus, & ipsis breviter pedicellatis, laxe umbellatim onustos; elongati in fructu, rubri, penduli que. Flores parvi, inodori ac patentissimi calycino foliola habent subrotunda & concava; petala subrotunda plana & duplo ampliora; filamenta vix conspicua cum antheris flavis. Horum autem quam plurimi sunt pentandri & pentapetali: pauci, iique praecipue extimi primique florentes, tetrandri & tetrapetali. Calyx & corolla initio dilute virent, brevi maculis sordide purpureis inficiuntur, tandem sic purpurascunt tota. Capsulae magnae, coccineae, nitidae, pendulae, glaberrimae, pro ratione florum pentacoccae aut tetracoccae, in totidem angulos eminentes & acutos excurrunt. Semina ex ovato oblonga & obtusa involvuntur tota in pulpa aurantiaca. Floret Junio. Fructus maturescunt Septembri. Crescit in sylvaticis ad radices alpium.

TABULA DUCENTESIMA NONAGESIMA.

HYPNUM AQUATICUM.

Hypnum aquaticum nigricans, foliis angustis falcatis. *Dill. musc. p. 334. t. 43. f. 70.*

Muscus squamosus nigricans, sub aqua vivens. *Pont. comp. bot. 2. p. 25.*

Muscus squamosus, aquaticus, longissimus, & ramosissimus, atrovirens; foliis longis, angustis, falcatis, & unum latus spectantibus; capitulis crassioribus, incurvis, brevibus pediculis insidentibus. *Mich. gen. p. 114. num. 107.*

Mu-

Muscus squamosus, aquaticus, atrovirens, viticulis longis, tenuioribus: foliis hamatis, angustis, & unam partem spectantibus; capitulis incurvis. *Mich. gen. p.* 115. num. 12.

Nudis saxis, super quibus fluit amnis Schwarza ad pedes alpium Schneeberg & Brenn, infra aquam ad variam profunditatem elegans hicce & perennans muscus cespitose innascitur, cespitem formans densum, itaque basi firmiter adhaerens, situ suo horizontali amnem fluentem sequens. Radix saepe evidentior nulla, quum integri cespites avelli de saxo queant, fibrilarum eorumque cerebrum ceterum pro basi habentes. Sed per ipsam hanc, quam ex praecipitato de aquis sponte sensimque ibidem deposito pulvere lapideo ortam existimo, crustam, tum etiam nonnunquam copiosius supra illam, fibrae radicales vagantur numerosae, veluti glomeratae, capillares, breves, molles & fuscae, quae surculorum bases connectunt, & post solutam crustam pendent in conspectum. Surculi sunt aut simplicissimi, aut brevibus ramulis, ex quibus praecipue capitula exeunt, diversimode ornati, ceterum teretes, semipedales vel breviores, toti densissime foliosi, aut seniores inferne nudi rigiduli & foliorum jam deperditorum superstitibus basibus inaequales, nigrescentes. Folia numerosissima & solida surculos imbricatim occupant, omnia versus alterum latus flexa, hinc falcata, ex lineari acuminata, integerrima, facie parum concava, dorso convexula, atrovirentia. E summitate ramulorum, rarius ipsius surculi, exeunt pedunculi setacei, longitudine ipsorum capitulorum, nudi, recti, rufescentes, inferne incrassati ac geniculati: qui singuli capitulum gerunt oblongum, teres, superne acuminatum in collum, nitidum, rectum, in principio more solito gracile & fere virens, tandem crassius & atroviride, donatum calyptra conico-acuminata, rufescente & recta. Quaedam tamen capitula vidi incurvata, idque praecipue ad exortum coni & calyptrae. Floret Augusto & sequentibus. Tabula repraesentat musci cespitosum saxo fluviatili inrescentem; tum surculum aliquem ex ramosissimis, licet jam aphyllum; aliumque ex simplicioribus, radice praeditum: capitulum calyptratum cum pedunculo foliisque in genuina magnitudine; aucta vero folium, capitulum calyptratum cum tubo terminali summo, capsulamque a calyptra solutam.

TABULA DUCENTESIMA NONAGESIMA PRIMA.

CLEMATIS ERECTA. *Linn. syst. p.* 377. *Scop. carn.* 1. *p.* 387. *Crantz. fasc. pag.* 126.

Clematis caule erecto; foliis pinnatis, ovato-lanceolatis. *Hall. hist. helv.* num. 1144.

Flammula Jovis. *Sterb. merg. p.* 7. t. 1.

Flammula Matthioli. *Clus. hist. p.* 124.

Flammula recta. *Bauh. pin.* 300.

Flammula altera. *Dodon. pempt. p.* 144.

Agris & dumetis apricis planta ex radice perenni, & ramosa quotannis producit caules herbaceos, annuos, teretes, vix ramosos, a tribus ad quinque pedes altos, firmos, & superne in pedunculos paniculatos. Folia sunt opposita, pinnata ex foliolis utrinque a duobus ad quatuor cum terminante impari, petiolatis, lanceolatis vel ovatis, acutis, facie glabris & virentibus, dorso villosulis & subglaucis, integris aut rarius magis minusve trilobatis. Ad pedunculorum divisiones stipulae adstant minutae. Petala sunt alba, oblonga, quatuor vel interdum quinque, obtusa, villosula, staminibusque paulo longiora. Pistilla plura contigua in semina abeunt pauca ab unico ad tria vel quatuor, rarius ultra, ex nigro fusca, glabra, orbiculata, valde compressa, ex apice emittentia caudam plumosam flavescentem longamque. Crescit in fruticetis, ad sylvas. Floret aestate. Semina maturescunt Augusto.

N TA-

TABULA DUCENTESIMA NONAGESIMA SECUNDA.

FIGURA PRIMA.

CRATÆGUS MONOGYNA.
Mespilus Oxyacantha. *Scop. carn.* 1. *p.* 344. *Crantz. fasc. p.* 82.
Mespilus decima tertia. *Dalechamp. ... austr.* 2. *p.* 20.
Mespilus sylvestris, foliis trifidis splendentibus. *Tind. bot. p.* 127.
Oxyacantha spinosa, minore folio. *Barr. p.* 125. *ic.* 563.

FIGURA SECUNDA.

CRATÆGUS OXYACANTHA. *Linn. syst. p.* 342.
Mespilus spinosa, foliis glabris serratis trifidis viridis. *Hall. hist. helv. num.* 1087.
Flora Danica. *Tab.* 634.

Duæ stirpes, specie inter se distinctissimæ, a Botanicis aut plane confusæ, aut ab invicem separatæ fuerunt cum dubitamine, ut operæ pretium duxerim, una illas eademque hac tabula tradere, quo melius pateat stabiliaturque diversitas. Et impressa quidem jam illa coloratamque, venit nuperrime primo in manus meas Floræ Danicæ fasciculus undecimus, in quo unam ex his vidi delineatam. Haud tamen, opinor, accidet incommodum, utramque sic junctim spectari: dum nec poterat amplius hæc figuræ evitari repetitio sine damno instituti mei. Ex synonymis distinguere cruentis claravi pauca, quæ certiora videbantur. Utramque ager Viennensis alit; monogynam quidem passim & copiose ad margines viarum, in fruticetis, in sylvis Danubialibus, in montibus, atque alibi; Oxyacantham vero in ipsa urbis vicinia nusquam, sed in montium catena illa, quæ a Danubio ad Styriam extenditur, haud infrequentem, interdum cum affine monogyna mixtam, quando tunc vel eminus ambæ discernuntur. Habitus utrique apud nos plerumque diffusus est, inconcinnus & humilis, dum rarius altitudinem decempedalem excedit. Materies dura albet. Spinæ singulares, rectæ, acutæ validæque ad latera ponuntur ramulorum, etiam ubi vagæ, aut terminales; modo frequentes, modo pauciores, modo tam raræ, ut abesse videantur. Ramulos juniores virides & alternantes folia probent alterna petiolata & utrinque viridia cum dorso pallidiore. Pedunculi subterminales & ramosi flores sæpius ternos, alias etiam plures aut pauciores sustinent, colliguntque omnino sæpe numerosi in umbellas densas, quæ totos frequenter ramos obtegendo stirpi florenti elegantiam non mediocrem addunt. Flores odoratissimi habent petala alba, calycem cum virore pallentem, antherasque rubras. Fructus succedunt ratione florum pauci, dum reliqui abortiunt, subrotundi, nitidi, rubri, & calyce marcescente coronati. Caro iis albida est, siccior & vix sapida. Semen ligneum, durum, pallens & uniloculare includit nucleum ovatum compressumque. Hic quum constet ex cortice proprio membranaceo fuscescente & ex substantia interiore alba: ipsum etiam semen suturam oppositam indicet manifestam, cujus ope per cultrum immissum adactumque facile in duas veluti valvulas finditur; fructus ad drupas referri meretur. Etiam ex nucleo inferne appendicula prominet, quæ futuram penetrat. Florent Majo. Semina maturescunt Septembri & Octobri. Atque illa conveniunt monogynæ cum Oxyacantha. Nunc transeundum est ad perpetuas diversitates, quas in foliis floribus fructibusque observavi, & ex quibus species judicentur genuinæ ac distinctæ.

Scilicet in Cratægo Oxyacantha folia sunt ob nervum venasque dorsales notabiliores, cum etiam ut plurimum pedunculi petiolique, villosula, qui tamen vix armato quam nudo oculo spectantur evidentius. Sunt obtusa, per totum ambitum inæqualiter serrulata, superne tantum obsolete triloba parumque profunde secta. Laciniæ calycis in flore pa-

tent.

tenuissime quidem sunt; quandoque etiam tileri, nunquam tamen insigniter, reflectuntur; & tales persistant in fructu. Styli adsunt gemelli, in raris individuis terni, quos etiam paucissimis in floribus quaternos conspexi. Unicus dum se stylus quandoque obtulit, semper tunc ille, egressus, non ex germinis centro, sed ad hujus centri latus, indicabat evidentissime alterius styli praeternaturalem aliquem vitiosumque defectum. Fructus fovet semina duo, vel tria, aut quatuor, quot nempe styli fuerunt in flore; variae haec pro diverso numero suo figurae, dum in medio fructu, absque ulla interposita pulpa, lateribus suis planis sese mutuo contingunt. In fructibus dispermis sunt semiglobosa, sive globi referunt dissecti ambo hemisphaeria. Tetraspermorum semina foris convexa sunt, intus ex duobus faciebus planis in angulum concurrentia. Tria semina si sint, tunc unum reliquis binis opponitur, duplo majus, dimidiumque fructum occupans; sicuti dispermi, dum reliqua figuram tetraspermorum habent.

At vero in Crataego monogyna folia sunt glaberrima magisque nitentia; cum etiam pleraque valde profunde secta in lobos quinque vel tres acutos & aut integerrimos aut ad summitatem paucis dentibus serratos. Pedunculi nullis villis pubescunt. Laciniae calycis semper cum in flore tum in fructu ita reflectuntur totae quantae, ut ad germen fructumque arcte apprimantur postica sui parte. Stylus unicus adest constantissime, ortus e centro germinis, nunquam mihi variare visus in ullo flore; hinc etiam fructus gerit semen aeque constanter unicum, idemque subrotundum, nec ullo latere applanatum. Sive igitur offerat quis alterutrius florem, sive folium aut fructum, momento sine haesitatione ullo speciem dignoscemus. Prima tabulae figura sistit Crataegi monogynae ramulum copiosius florentem aliumque fructescentem; fructum immaturum, Julio carptum, quando figura magis ovata gaudet, quae in maturo (nec tamen in omnibus) magis rotundari solet, & hinc evadere Oxyacanthae simillima; semen integrum; idem transversim dissectum; tum quoque per suturas sissum longitudinaliter cum inhaerente nucleo integro; nucleumque tandem exemptum. In altera figura ramulus exhibetur Crataegi Oxyacanthae parce florens, (nam ita fodere florum numero stirps utraque fatur,) idemque fructifer; tum fructus immaturus, Julio etiam carptus ad latus prioris; semen dispermi; idemque cum sectum transversim, tum fissum per suturas longitudinales cum nucleo integro.

TABULA DUCENTESIMA NONAGESIMA TERTIA.

HIERACIUM STIPITATUM.

Planta pedalis vel altior in pratis montanis altis crescit, flores Junio, semina matura Julio ferens. Ex radice perenni, fibrosa, tereti, praemorsa, obliqua, calamum plus minus crassa, pallide fuscescente, & fibrillis aucta, prodit annuatim caulem solitarium, teretem, fistulosum, fistulosum, inferne glabrum, superne raris atrisque pilis hispidulum; aut unico folio in decursu munitum, aut plane aphyllum, in duos tres quatuorve pedunculos unifloros erectosque divisum, quibus singulis folium parvum ceu stipula subjacet. Folia radicalia pauca, ex figura obverse ovata & mucronem paulatim longeque attenuata, tenuia, utrinque glaberrima, raciterque dentata, facie laete virent, dorso ex viridi pallent. Caulinum, si quod adest, oblongo-lanceolatum, sessile, acuminatum, subdentatum, pro vario insertionis altitudine, prouti ibidem caulis est, modo glaberrimum est, modo hispidum. Calycis subaequalis & atrovirentis squamae sunt acuminatae pilisque nigris dense hirsutae. Corollulae luteae & quinquedenticulatae. Antherae fuscae. Calyx in fructu reflectitur. Receptaculum nudum punctatum & planum semina sustinet oblonga, obtusa, fuscescentia, submuricata, coronataque calyculo pentaphyllo & pappo stipitato simplice. Cum generibus affinibus plura habet communia; ab Hieracio secedit stipite pappi: ut singulare genus constituere posse videatur.

TABULA DUCENT. NONAGESIMA QUARTA.

SALSOLA PROSTRATA. *Linn. syst. p. 196. Amoen. acad. 2. p. 347. Pall. it. 1. p. 490. & tab. C. lit. o p q r.*

Salsola lignosa, ramis filiformibus adscendentibus, floribus conglomerato-spicatis. *Lepl. hisp. p. 131.*

Kali hirsuto affinis, Anthyllidis forte aliqua species. *Bauh. hist. 3. part. 2. pag. 703.*

Chenopodium foliis subulatis, sericeis, florum glomerulis geminis. *Hall. hist. helv. num. 1575.*

In *Austria* silvestrem circa oppidum Retz crescentem reverendus Andreas Zanutig invenit primus, mihique attulit; dein ex Hungaria clarissimus Botanices & Chemiae professor Tyrnaviensis Winterl. Radix lignosa, altero jam anno digitum minimum saepe aequans, eundem diametri pennam, longa, cortice fusca, intus pallens cum paucis circulis magis cinereis, in truncum brevem, seu caput, excrescit, ex quo caules producuntur copiosi, ad basin fruticosi lignosi & perennantes, caeterum herbacei & annui, prostrati vel adscendentes, ramosi, teretes, sesquipedales vel longiores, inferne nitidi & virentes, superne subtomentosi & saepe sanguinei. Folia sunt linearia, acuta, ex glauco virentia, inermia, crassula, mollia, tomento fere inconspicuo obtecta, plana, sessilia, plus minus semiuncialia, infra flores fasciculata, ad eosdem subsolitaria. Flores sessiles, parvi paucique aggregatim insident foliorum alis, longeque spicatos sic caules reddunt. Perianthium persistens, monophyllum, campanulatum, semiquinquefidum, utrinque pilis longis albidisque hirsutum iisdemque ad oras ciliatum lacinias habet semiovatas concavas erectas & atrovirentes. Petala omnino desiderantur. Filamenta quinque subulata erecta & albida receptaculo innascuntur, calyce duplo longiora, aeque huic inserta. Antherae purpureae subovatae compressae obtusae utrinque bifide emarginatae. Germen subovatum viride & glabrum attenuatur superne deinque in stylum subbifidum, subulatum, bifidum, erectiusculum & calyce paulo longiorem. Stigmata sunt simplicia. Atque tales quidem flores vidi tum per tres annos a Julio ad medium usque Septembrim sibi succedere, augentes numero magnitudine, at non volumine, sed sine vestigium fructus ullum. Hoc autem tempore inter illos alii exeunt flores, atque parvi, omni apetali calyceque simili donati, sed qui stylorum divaricatione fumosa, longitudine ac colore eleganti conspicuos se reddunt. Hi feminei sunt, staminibusque plane carent, forte soli fertiles. Circa medium Octobris alae calycum foliaceae apparent, & fructus increscunt, qui, dum maturus est, capsulam exhibet tenuissimam membranaceam, quae includit semen subulatum viride & fusiculatim intortum. In tabula exhibentur radicis pars, caulis aliquot, ab caule angusti ramo in erectu unius item; cum sicula ad lentem calyx fructiger, flos hermaphroditus sterilis, hujus stamina duo aliqua cum pistillo, flos femineus & semen nudum; eodem in statu naturali semen & capsula.

TABULA DUCENT. NONAGESIMA QUINTA.

ONOSMA ECHIOIDES. *Linn. syst. p. 147.*

Cerinthe echioides. *Scop. carn. 1. p. 128.*

Symphytum foliis lingulatis, hispidis. *Hall. hist. helv. num. 601.*

Anchusa exalbido flore. *Clus. hist. CLXV.*

Anchusa echioides, Cerinthes flore, montana. *Col. ecphr. 1. p. 182. t. 183.*

Anchusa tertia. *Camer. epit. p. 756.*

Anchusa lutea major & minor. *Bauh. pin. 255.*

Fa-

Folia primo anno sola radicalia promit, angusta, acuta, integra, a duobus ad quinque uncias longa; altero caulem suberectum, teretem, purpureum vel magis pallidum, a dimidio ad sesquipedem altum; foliis ornatum ex oblongo lanceolatis, sessilibus, & alternis; post peractam fructum perit. Ex foliorum omnium axillis rami offendunt simplices, foliosique. Pedunculi breves uniflori & solitarii ex omnium foliorum superiorum alis egrediuntur. Flores inodori, cum sunt expansi, tum etiam explicati, nutant cum ipsa ramorum & caulis summitate; post fecundationem penitus attolluntur, ut calyx fructiger sit erectus. Perianthium dividitur in lacinias quinque, lanceolato-linearis, acuta, erecta, persistentia, quorum aliqua saepe connexa sunt. Haec, ut etiam caulis, folia ramique, pilis albidis rigidisque dense hispida & aspera sunt, in planta juvenili etiam pungentibus. Corolla in principio nivea est, mox autem ochroleuca aut magis flavescens evadit, calyce paulo longior, tubulosa & superiora versus lentius amplior, circa medium quinque sulcis incurvatis trifida, brevissime villosa externe, limbum habens exiguum ex quinque dentibus triangularibus & patentissimis. Filamenta quinque, crassa, alba, subulata, compressa & conniventia ex media oriuntur corolla, antheris praedita sublanceolatis, flavis, in apicem membranaceum terminatis, magnis, & conniventibus in conum; unde stamina faucem petali, caeterum perviam nudamque, sic claudunt. Stylus tandem longitudinem corollae habet, etiam saepe tunc spe longior. Semina ultimo quaterna, ovato-acuminata, hinc gibba, illinc angulata, lucida, glabra, & cinerea. Radix tripedalis, digitum crassa, intus sordide pallens, cortice vestitur nigro sublacteoque, sub hoc eleganter rubra, similique nigrum colore. Crescit in saxosis aut sabulosis locis. Floret Junio. Semina perficit Julio & Augusto. In margine abluunt corolla interna, eadem abscissa ad orem sublutescentem, ut hinc cum antheris styloque in conspectum prodeant; iisdem avulsum, & tamen hinc atque illinc visum.

TABULA DUCENT. NONAGESIMA SEXTA.

CONVOLVULUS CANTABRICA. *Linn. syst. pag. 157. Scop. carn. 1. p. 141.*
Convolvulus minimus spicaefolius. *Moris. hist. 2. p. 27. s. 1. t. 4. f. 3.*
Convolvulus linariae folio. *Bauh. pin. 259.*
Volvulus terrestris. *Bauh. hist. 2. p. 162.*
Cantabrica quorumdam. *Clus. hist. p. XLIX.*

Multi, annui, hirsuti, teretes, semipedales aut longiores, tenues, humique prostrati caules ex radice perenni, calamum plus minus crassa, ex fusco sordente, semipedali vel sesquipedali, ac multicipite fundit. Folia sunt anguste oblonga, crassiuscula, pallide virentia, utrinque pilosa, integra, alterna, radicalia obtusiora atque petiolum crassum attenuata, caulina acuta & sessilia. Pedunculi axillares, solitarii, ab una ad tres uncias longi, & villosi, tres vel duos flores sustinent breviter pedunculatos. Calyx hirsutus in lacinias lanceolatas acutasque dividitur. Corolla carnea extus per lineas quinque latas rubrasque habet, externus pilosas. Antherae pallent. Stigmata duo sunt filiformia. Capsula glabra subrotunda & bilocularis continet in quolibet loculamento semina duo fusca. Crescit in montosis apricis asperis. Floret Maio & Junio. Semina maturescunt Julio & Augusto.

TABULA DUCENT. NONAGESIMA SEPTIMA.

LEONTODON AUREUM. *Linn. syst. pag. 522. Jacq. vindob. p. 268.*
Taraxacum calycibus hirsutis, squamis erectis. *Hall. hist. helv. num. 57. t. 1.*

Dens leonis, foliis extremo subrotundis, floribus aureis. *Raj. syl. ext. p. 399. Seg. ver. 3. p. 265.*

Hieracium aureum. *Scop. carn. 2. pag. 104.*

Hieracium alterum minus quartum. *Col. ecphr. 2. p. 31. t. 29.*

Hieracium dentis leonis folio obtuso minus alpinum, flore ferrugineo. *Scheuchz. it. 1. pag. 40.*

Hac autem Lefa planta fundit. Radix perennis, praemorsa, columbini vel digitum crassa, fibris albicantibus longisque aucta, intus albicans, foris sepius nigrescens, plerumque plantulam unicam profert, nonnunquam multiceps etiam plures. Folia sunt radicalia omnia, modo pauciflima, modo plura, oblonga, versus basim sensim angustata, laete virentia, utrinque glabra, irregulariter sinuato-dentata, obtusa, atque interdum cum exiguo acumine. Scapus unus alterve, teres, striatus, erectus, inferne glaber, versus superiora pilis atris hispidus, tubulosus, ligula una alterave in varia altitudine munitus, a tribus ad decem uncias altus, florem erectum unicum fulciens, simplicissimus, aut rarissime ex ramis bifloris. Flos elegans corollam habet primo interne luteam, foris croceam, qui colores brevi saturantur magnus. Calycis squamae ex lanceolato oblongae, acutae, erectae, ex nigro virentes, pilisque atris hispidae, ad basim augentur squamulis brevioribus. Semina linearia pappo coronantur sessili, niveo, & simplicissimo. Crescit in alpinis & subalpinis passim. Floret aestate.

TABULA DUCENT. NONAGESIMA OCTAVA.

SALIX SERPILLIFOLIA. *Scop. carn. 2. p. 255. t. 16?*

Exiguus frutex, carinus palum longitudine excedens, humi prosternitur in summis alpium jugis totus, in subalpinis ramulos gerens magis erectos, ex iisdem stirpibus radicales etiam terrae immittens; nec habitum notabiliter mutat in horto cultus. Caules & rami adulti calamum vel digitum crassi, duri, glabrique materie constant albida & cortice nigrescente, qui in exsiccatis speciminibus ater evadit. Folia sunt ovata vel lanceolata, integerrima, breviter petiolata, utrinque nitidissima, facie glabra, dorso subvillosa, ad oras haud ciliata, obtusa vel acuta. Amentum laxe componitur ex squamis a tribus ad decem, oblongis, concavis, obtusis, pallide flavescentibus, & ciliatis per pilos in margine raros, ad apicem densiores longosque. Hic singulae in maribus locant stamina gemina filiformia crassa & longiora; in feminis pistillum pedicellatum, cui, uti & staminibus, altera squamula minor a regione apponitur. Capsula est glabra. Crescit in alpibus, florens Junio, dans femina Julio. Tabula exhibet plantam femineam florentem cum adiecto ramulo fructigero, & ducto ad latus femineo flore; tum ramum masculum, subtus florem masculum, & ramulum foliosum variantem in horto.

TABULA DUCENTESIMA NONAGESIMA NONA.

MUCOR MINIATUS.

Mucor elegans, tenellus, debilis, & mollis, ut attactu in pulvem collabatur, viridis & totus glaberrimus, constat stipite albo cylindrico, & capitulo pyriformi, cum intus tum foris miniati coloris. Substantia interior homogenea est, exsiccatione evadens firmior & carnosa. Innascitur putridis lignis in sylvis udis subalpinis mense Septembri, ubi expertissimus Paulus Antonius Sangiorgio Mediolanensis, anno 1774 itineris comes, detectum mihi ostendebat. Ad latus additur fungulus auctus.

TABULA TRECENTESIMA.

MESPILUS AMELANCHIER. *Lam. syst. pag.* 343. *Scop. carn.* 2. *p.* 347. an *Allg. ic.* 178?

Mespilus folio rotundiore, fructu nigro subdulci. *Tourn. inst. pag.* 642. *Seg. ver.* 2. *p.* 314.

Mespilus alni lanato folio minor. *Bauh. alm. p.* 248.

Sorbus Amelanchier. *Crantz. fasc. p.* 90. *t.* 2. *f.* 4.

Pyrus foliis ovatis, serratis, subtus tomentosis, calvescentibus. *Hall. hist. helv. num.* 1095.

Amelanchier Gallo-provinciæ. *Barr. ic.* 527.

Vitis idæa serotina. *Clus. hist. p.* 61.

Diospyros. *Gesn. apud Schmid. num.* 53. *tab.* 15. *Bauh. hist.* 1. *p.* 75.

Alni folio lanato minor. *Bauh. pin.* 452.

Austriæ elegantissimos inter frutices, dum floret, numerari omnino meretur. Ex eadem radice pluribus caulibus ramisque ad angulum acutum egressis fruticat, a tribus ad septem pedes altus, lignum habens albidum corticemque ex leucophæo rufescentem. Novellorum dumtaxat ramulorum cortex lanugine alba obducitur, quam seniores deponunt. Atque illi exeunt ex stipulis pluribus lanceolatis concavis rubisque, antea gemmam constituentibus. Folia ex gemmis aggregatim plura, eodem cum floribus tempore exeuntia, in ramulis elongatis alternantia, petiolata, serrulata, magis minusve obtusa & ovata, ex nervo dorsali medio nervulos laterales adscendentes producentia, facie semper glaberrima & virentia; quo autem juniora, eo magis canescentia inque pallida superficie villis incana albis, per ætatem ferme ex integro deperditis. Pedunculi communes unciales lanuginosi & incani sustinent flores odoratos, a quatuor ad decem. Pedunculis propriis ad basin adstat stipula rufa & setacea. Calycis villosi & profunde fissi laciniæ sunt lanceolato-acuminatæ, planæ, patentissimæ, & ad apicem rufæ. Petala quinque ex ungue angusto in laminam paullatim latescunt oblongam, obtusam, integerrimam vel subemarginatam, planam, in prona parte glabram, in supina lanuginosam, cum suffuso colore ochroleuco lacteam, inæqualiter patentissimam, & calyce multo longiorem. Filamenta circiter viginti, alba, calyce breviora, & persistentia, antheris donantur ochroleucis, ellipticis. Germen est villosum. Styli sunt quinque, breves, erecti & obtusi. Calycis fundum obducit elevatior callus campanulatus obiter decemdentatus & viridis. Baccam maturam constantissime inveni decemlocularem & decaspermam, sic ut quælibet duo vicina semina, versus baccæ centrum ad se invicem magis convergentia eandemque utrinque contingentia, alterum dissepimentum ibidem solum dimidiatum relinquant. Membrana autem pergaminea, semina includens, uti in Pyro, haud adest: sed soli carnis divisæ parietes magis indurati & æquales loco dissepimentorum sunt. Est autem bacca primo viridis, dein rubens, tandem atra, subrotunda, coronata calyce persistente & patente, nitida, versus summitatem modo parum lanuginosa, modo etiam hic glaberrima, pisi volumine aut paullo major, carne albida succulenta & dulci prædita, semina includens atra, nitida, leviter compressa, ad hilum emarginata, a duobus ad octo, cum aliqua plerumque abortire soleant, nec ossea, sed seminum pyri structura. Ad latus adstant bacca integra, transversim secta, ramulus fructifer, & semen. Crescit in collibus fruticosis saxosis. Floret ab exeunte Aprili ad finem Maji. Semina maturescunt Augusto & Septembri.

Tabula tituli exprimit prospectum ex Türkenschantz, qui collis est pago Weinhaus imminens urbique Viennæ vicinissimus, ad montem Cetium versus lævum, montemque Leopoldi dextrorsum situm. Ad quorum pedem ex uno prodit pagus Grinzing.

T. 202.

T. 205.

T. 206

T. 207.

T. 208.

T. 209

T. 210

T. 212.

T. 213.

T. 214.

T. 215.

T. 218

T. 219.

T. 220.

T. 221.

T. 222.

T. 223.

T. 224.



T. 225.

φ

T. 227.

T. 228.

T. 230.

T. 233.

T. 236.

T. 237.

T. 238.

T. 239.

T. 242.

T. 243.

T. 245.

T. 246.

T. 247.

T. 249.

T. 251.

T. 252.

T. 253.

T. 254

T. 255.

1

T. 260.

T. 261

T 263.

T. 264.

T. 265.

T. 266.

T. 261.

T. 270.

T. 271.

T. 272.

T. 273.

T. 275.



T. 276.



T. 277.

T. 278.

T. 279.

T. 281.

T. 282.

T. 284.

T. 285.

T. 287.

T. 288.

T. 290.

T. 291.

T. 292. f. 1

f. 2.

T. 293.

T. 296.

T. 297.

T. 298.

T. 299.



T. 300.